# PRAECEPTA
# ARTIS ORATORIAE

LECTISSIMIS VETERUM SCRIPTORUM

## LATINAE ATQUE ITALICAE LINGUAE

**EXEMPLIS ILLUSTRATA**

CURA ET STUDIO

JOSEPHI IGNATII MONTANARI

IN USUM TYRONUM

VEN. SEMINARII AUXIMANI



ANCONAE
EX TYPIS J. AURELJ ET SOC.
1853.

# STUDIOSIS LECTORIBUS

## JOSEPH IGNATIUS MONTANARI



Oratoriam artem tradentes hisce pauculis legibus non oratorem instituere, sed adolescentibus ad artis disciplinam, quasi viam quamdam sternere, nobis in animo est, ita ut istis imbuti praeceptis, vel difficile oratoris munus, si vires sufficiant, aggredi, vel ab oratorum lectione uberes oblectationis doctrinaeque fructus colligere possint. Aliud enim est pueros artem docere, aliud oratorem agere; nam illi ut artis scientiam percipiant, in hoc studium se conferunt; orator vero absoluto studiorum cursu, cum sibi quantum satis est literarum pararit, ab arte fructus capessere, veluti suo jure, contendit. Nos itaque viam, quam ingredi opus est, digito ostendimus, et quasi manu tyrones ducimus, veterum sapientia praeeunte, quam viam nisi qui perfecerit, oratorium munus experiri haud posse videtur. Manibus ergo terat, atque in sinu gestet Ciceronis de Oratore, Fabiique libros quicumque rem oratoriam exercere cupit, nobis abunde esse debet, quibus legibus acquiratur, adolescentibus demonstrasse. Quare et facillimos aditus, brevioresque ad illam rimari et notare, atque praecipua totius artis capita perlucido ordine attingere, ac certa ab optimis magistris documenta deprompta

exponere, nobis curae erit, ut satis leviter pueri, expeditoque itinere optatam ad metam pervenire possint.

Dominici Decoloniae S. J., ut in Rhetoricorum praeceptis, ita in hoc opere libros ante oculos habuimus, et quoad licuit tanti viri vestigiis instare constituimus; at quum nonnulla essent quae immutanda, vel reficienda, vel amplificanda, vel omnino reconcinnanda duceremus, si non verba arripere potuimus, methodum sane servavimus, ut quasi una manu facta, eodemque artificio elaborata viderentur. Nec solum hoc nobis praestandum, ut absolutum opus, quantum in nobis esset, praeceptoribus et adolescentibus praeberemus, putavimus; sed rerum temporumque ratione habita, nostrum quoque id facere duximus, omnique studio adniti, ut omnia ea quae et Decolonia ipse, si nostra aetate vixisset, facturus fuisse videretur, adderemus ac perpoliremus. Multa enim ille posthabuit saeculi vitio, non proprio ingenio; quod nobis nunc affirmare licet, ut inanes nonnullorum sermones contundamus, quibus nil sapere videtur, nisi quod nostris hisce temporibus, propriove ingenio sit accommodatum: quasi humana omnia uno ictu perfecta, aetatibusque omnibus apta et opportuna possint exoriri. Quisque enim instantibus inservire necessitatibus, et suis consulere temporibus apprime studet, nec ante alienis prospicere, longeque animo futura praevidere solet. Non dubitamus quidem, si nostram hanc in aetatem Decolonia incidisset, se quae omiserit, sponte daturum, eademque fortasse ratione, qua nunc nos; meliore certe cultu, et ea quae tanti hominis par esset doctrina, quam nos

non habere, neque usurpare posse, plane ingenueque confitemur, ac sentimus. Si quis itaque nobis id laudis tribuere velit, quod tanti Rhetoris illius famam extenuare videatur, respuimus sane: nobisque actum esse praeclare duxerimus, si in partem laudis illius pervenire quodammodo concedatur. Facile est inventis addere, nec eadem auctoris, et expolitoris ratio habenda est. Hoc tamen unum nobis vindicabimus, bonoque jure assumpsisse omnes uno ore consentient, studium quod in excolenda puerorum mente perpetuo contulimus, nostrumque in literas ab ineunte aetate amorem. Semper hoc ante oculos, et in animo habuimus, nisi utile esset quod faceremus, stultam inanemque gloriam futuram, omniaque nostra studia in discentium usum commodumque convertenda omnino esse, ut laborum nostrorum fructum adolescentes percipere, quasi suo jure, possint. Quamobrem cum id unum nobis proposuissemus, ut puerorum utilitati, non nostrae laudi serviremus, saepius nos aliena verbis iisdem in librum hunc transferre non piguit, quum opportuna, et ad rem esse cognovissemus, et Tullii, Fabiique praecepta aliorumque describere, ut nescio quid majoris auctoritatis ab illorum sapientia verbis nostris, si fieri possit, adderetur; imbecillitatemque nostram istorum aestimatione fulciremus. Itaque siquis arguat, et nos vermiculatum, vel tessellatum confecisse opus dixerit, dicat sane; dummodo multa diligentia, multorumque, ut sperandum est, profectu id nos confecisse fateatur. Non enim ad scriptoris, sed ad praeceptoris gloriam contendere animus fuit; neque nobis, sed aliis prodesse, tanti Antecessoris exemplum sectantes,

qui idem et ipse saepissime fecisse non dubitavit, arbitrati sumus. Cujus industriae nostrae, quasi specimen, si de nobis loqui fas est, totius graecae, latinaeque, italicaeque eloquentiae historia legentibus praebebit, quam in ipsius operis vestibulo exposuimus, ut adolescentibus facilior sit rerum intelligentia, quum haud ignorent, et qui fuerint scriptores, et ubi, et qua aetate floruerint, quibus excelluerint virtutibus, et quid utilitatis ab illorum lectione assidua ac studio hauriri possit. Neque, ut alia omittamus, parum diligentiae ac laboris in exemplis collocavimus: ex optimis optima decerpsimus, atque oratores inter italicos Segnerum ante omnes nobis in deliciis fuit, quem propius Ciceronem accedere nemo sanus inficias ibit. Quod quantum difficultatis in se habuerit, qui in hanc arenam descendere soliti sunt, sapienter expendent. Ex libris enim exempla excerpere, et veluti flosculos quosdam primoribus labiis delibare, ut praecepta ab his lucem accipiant atque explanentur, non parvae difficultatis ac laboris res est: nam interdum evènire solet, ut non apte quadrare, et ex fulgore, ut ait Poeta, dare fumum, non ex fumo lucem videantur. Neque in hoc solum animum intendere constituimus, sed in exemplis seligendis hoc nobis assequendum totis viribus curavimus, ut ea documentum aliquod seu ad vitam, sive ad mores informandos in se continerent, ut, veluti uno tempore, et arti et pietati inservire, ac veluti duos apros, ut ajunt, in saltu uno capere, possemus. Nonnulla etiam Eloquentiae Sacrae praecepta addenda existimavimus, quae huic loco convenire apprime videbantur, quum in alumnorum Auximanae

Ecclesiae commodum praesertim haec omnia in lucem proferamus; quae si non improbentur a doctis, et tyronibus usui esse possint, nobis et optime evenisse, et satis ad voluntatem fluxisse arbitrabimur.

Et hic finis esset: sed cum non solum hisce praeceptis imbuendos esse, qui re oratoria instituuntur, sed etiam qui in litterarum curriculo unumquodque dicendi scribendique genus arripere student animadvertissemus, de caeteris quoque orationis rationibus aliquid attingere statuimus, ne cupientibus postulantibusque, cibum quasi subducere, ac pene interdicere videremur. Quare lucide quantum potuimus, breviterque perstrinximus quidquid ad *epistolas*, *dialogos*, *inscriptiones*, *historiam*, *diaria*, *commentarios*, *et annales* pertinere judicavimus; deque his omnibus praecepta, pauca quidem sed accuratiora, tradere, scriptoresque optimos indigitare; quibus rebus nil amplius a nobis desiderari, vel quod industria nostra praestare posset, requiri, non sineremus.

En igitur quod pollicitus fueram meis pro viribus persolvi; utinam Excellentium Virorum qui operam meam multis abhinc annis exposcere videbantur, et ad hoc, quidquid opellae sit, renuentem compellere, volentem incitare conati sunt, votis satisfacere queam. Certe ut satis omnibus facerem studui, neque labori, aut diligentiae me pepercisse unquam scio: ut si quod optaveram, ingenii culpa non sum assequutus, ab omnibus veniam quam obsequio merui, etiam atque etiam postulo ac rogo.

# INDEX

PRAELUDIA ELOQUENTIAE . . . . pag. 1
§. I. Eloquentiae laus . . . . . . . . » ibid.
§. II. De claris Graeciae Oratoribus . . » 2
§. III. De Latinis Oratoribus . . . . . » 4
§. IV. Demostenes et Cicero . . . . . » 7
§. V. Eloquentia Sanctorum Patrum . . » 8
§. VI. De Italorum eloquentia et Oratoribus » 11
CAPUT I. DE ELOQUENTIA GENERATIM . » 17
*Quid est eloquentia?*
*Quomodo dici potest eloquentiam artes scientiasque omnes complecti?*
*Quid differunt inter se convincere et persuadere?*
*Num eloquentia ab arte ortum duxit?*
*Potestne in partes eloquentia dividi?*
§. I. Quaestionem esse vel infinitam vel finitam . . . . . . . . . . . . » 20
*Quotuplex est quaestio quae oratori ad dicendum proponi potest?*
*Quomodo dividi possunt quaestiones, sive infinitae sive finitae sint?*
§. II. De statu causae . . . . . . . » 21
*Quid est status causae?*
*Quotuplex est causae status?*
*Quid observandum est in statu causae constituendo?*
§. III. De diversis orationum generibus . » 23
*Quot sunt orationum genera?*
*Cur veterum divisionem hic sequuti sumus?*
CAPUT II. DE GENERE DEMONSTRATIVO » 24
*Quodnam est genus demonstrativum?*

*Quid primum animadvertendum est in genere demonstrativo?*
*Quid in primis spectandum est in laudando sive vituperando?*
*Quid quaerere debet bonus orator?*
*Num audientium laudes attingendae?*
*Quaenam inest huic generi utilitas?*
*Quid in verbis et sententiis quaerendum est in oratione demonstrativa?*
§. I. De Oratione Panegyrica . . . . pag. 28
*Quaenam est, et quid sibi vult panegyrica oratio?*
§. II. De Laudatione Funebri . . . . » 29
*Quaenam est, et quid sibi vult oratio funebris?*
§. III. De Genethliaco, et Epithalamio . » 30
*Dic age de oratione Genethliaca, et de Epithalamio.*
§. IV. De Eucharistica Oratione et Epinicio » 31
*Velim nunc dicas de oratione Eucharistica et de Epinicio.*
CAPUT III. De Genere deliberativo . » 32
*Quodnam est genus deliberativum?*
*Quibus constat officiis oratio deliberativa?*
*Quaenam sunt apprime spectanda in suadendo et dissuadendo?*
*Num aliud spectandum erit in suadendo vel in dissuadendo?*
*Quid dicendum est de persona suasoris sive dissuasoris?*
*Quaenam regulae sunt oratori in suadendo vel dissuadendo observandae?*
*Quaenam sunt exquisitiores Ciceronis in hoc genere deliberativo orationes?*
CAPUT IV. De Genere Judiciali sive forensi . . . . . . . . . . . » 37
*Quodnam est genus judiciale?*
*Quare apud veteres suadere apud nos convincere est generis judicialis?*

*Quae sunt in Cicerone, caeterisque imitanda, quae omittenda ab oratore in genere judiciali?*
*Quaenam sunt oratoris partes in genere judiciali?*
*Quaenam sunt in judiciis quaestionum genera?*
*Quaenam sunt accusatoris partes?*
*Quomodo rem, de qua in judicio acturi sumus, tenebimus?*
*Quaenam sunt defensoris partes?*
*Quid est translatio?*
*Quid est excusatio?*
*Quid est deprecatio?*
*Quibus modis utendum est deprecatione?*
*Quonam orationis genere uti debet orator forensis?*
*Quid in eloquentia forensi vitandum est in primis?*
*Quaenam praecipue ab oratore forensi curanda sunt?*
*Potestne causae actor vel defensor risum excitare?*
*Velim exemplis doceas qua ratione risum excitare possit orator.*
*Num causas omnes orator dicere potest?*
CAPUT V. DE DISPOSITIONE SIVE DE PARTIBUS ORATORIAE ORATIONIS . . pag. 48
*Quid est dispositio?*
*Num ab arte dispositio orta est?*
*Quisnam est ordo servandus in orationis oratoriae dispositione; seu quaenam sunt oratoriae orationis partes?*
*An hae partes omnes in unaquaque oratione locum habere debent?*
*Nonne haec quae diximus, oratoriae tantum orationi conveniunt?*
CAPUT VI. DE EXORDIO ET DE VARIIS EXORDIORUM GENERIBUS . . . . . . . 50

*Quid est Exordium?*
*Quotuplex est Exordium?*
*Nonne Exordium etiam ex abrupto appellatur?*
*De Exordio, quod ex abrupto appellant, velim apertius dicas.*
*Quandonam Exordio praetermisso abrupta oratione uti possumus?*
*Cedo exemplum aliquod Exordii illius quod principium appellavimus.*
*Cedo exemplum italicum.*
*Velim exemplum principii vehementioris.*
*Affer hujusce generis Exordium italici Scriptoris.*
*Velim Insinuationis exemplum proferas.*
*Affer, si in promptu est, exemplum Insinuationis ab italico oratore depromptum.*
*Abruptae orationis exemplum cedo.*
*Velim afferres exemplum italicum orationis abruptae.*

§. I. De officio et munere Exordii: et de concilianda benevolentia . . . . . pag. 70
*Quodnam est officium ac munus Exordii?*
*Unde reddet auditorem benevolum?*
*Quomodo reddet auditorem benevolum a persona oratoris ipsius?*
*Quomodo colligetur benevolentia ab auditorum persona?*
*Quomodo captabitur benevolentia a persona vel auditorum vel judicum?*
*Quomodo paratur benevolentia a persona clientis, sive illius cujus causa agitur?*
*Semperne laborandum est in Exordio ut captetur auditorum benevolentia?*
*Quid sunt causae honestae?*
*Quid sunt causae incredibiles, quae etiam admirabiles, et paradoxae vocantur?*
*Quid sunt causae dubiae?*

*Quid sunt causae humiles?*
§. II. De paranda Attentione . . . pag. 74
*Undenam conciliatur attentio?*
*Quaenam est ratio conciliandae attentionis?*
§. III. De comparanda Docilitate . . . » 76
*Quaenam est, et quomodo comparatur docilitas?*
§. IV. De virtutibus ac vitiis Exordii . » 77
*Quae sunt Exordii dotes ac virtutes?*
*In quo posita est proprietas?*
*In quo posita est Exordii cura?*
*In quo consistit Exordii verecundia?*
*In quo sita est brevitas Exordii?*
*Quae vitia sunt in Exordio vitanda?*
*Num in omni oratione locum habere debet Exordium?*
§. V. De variis Exordiorum fontibus . . » 81
*Undenam hauriri possunt Exordia?*
CAPUT VII. De Propositione . . . . » 84
*Quid est Propositio?*
*Quaenam sunt Propositionis virtutes ac dotes?*
*Quid est porro una simplexque Propositio?*
*Quomodo definita erit Propositio?*
*Quomodo erit lucida et brevis Propositio?*
*Quomodo novitatem habebit Propositio?*
*Quid est in Propositione observandum?*
*Nullone ornatu perpolienda est Propositio?*
*Velim proferas Propositionis exempla latina.*
*Afferas quaeso nonnulla ex Scriptoribus italicis Propositionis exempla.*
*Num semper necesse est uti Propositione?*
CAPUT VIII. De Divisione seu partitione . . . . . . . . . . . » 91
*Quid est partitio?*
*Cur adhiberi solet in oratione divisio seu partitio?*
*Quaenam sunt leges divisionis?*

*Quid aliud erit in partitione observandum?*
*Estne semper in oratione necessaria divisio?*
*Cedo exempla partitionum ex Tullio.*
*Affer nonnulla partitionis exempla italica.*
*Dicas tandem velim num partitio habenda sit pars orationis a propositione sejuncta, num pars propositionis ejusdem?*
CAPUT IX. DE NARRATIONE . . . . pag. 97
*Quid est Narratio?*
*Quaenam sunt Narrationis virtutes ac dotes?*
*Quomodo lucida erit Narratio?*
*Quomodo brevis erit Narratio?*
*Quomodo probabilis, vel verisimilis erit Narratio?*
*Quomodo erit jucunda Narratio?*
*Quid animadvertendum erit in Narratione?*
*Qua ratione ad probationes aptatur Narratio?*
*Qua ratione ad animorum motus accommodatur Narratio?*
*Quandonam Narratione utendum est, aut non?*
*De singulis generibus velim dicas in quibus narrandum sit, aut non.*
*Quoniam de expositione attigisti, dicas velim, quaenam est.*
*Cedo exempla perfectae Narrationis.*
*Agesis, si in promptu est, exemplum expositionis proferas.*
*Velim dicas de praeparatione, quam nonnulli praemissam Narrationi volunt.*
*Quid denique dicendum de egressione, quam nonnulli Rhetores Narrationi subjiciunt?*
CAPUT X. DE CONFIRMATIONE ET SEDIBUS ARGUMENTORUM . . . . . . . . » 102
*Quid est Confirmatio?*
*Quot sunt Confirmationis partes?*

*Quid praestandum est in Confirmatione?*
*Quid est argumentum?*
*Undenam sumuntur argumenta?*
*Quot sunt genera locorum?*
CAPUT XI. DE LOCIS INTRINSECIS . pag. 110
*Quot sunt loci intrinseci?*
§. I. Definitio . . . . . . . . . . . 111
*Quid est Definitio?*
*Quomodo fit recta Definitio?*
*Estne eadem definiendi ratio philosophis et oratoribus?*
*Praebe sodes exemplum oratoriae Definitionis sive descriptionis.*
*Exemplum aliud ex italicis velim.*
*Quomodo fit argumentum a Definitione?*
*Quot modis fieri solet descriptio sive Definitio oratoria?*
§. II. Enumeratio partium . . . . . . . 115
*Quid est Enumeratio partium?*
*Quae sunt regulae ac leges Enumerationis partium?*
*Quaenam est secunda regula?*
*Cedo ultimam regulam Enumerationis partium.*
*Num alius est Enumerationis usus apud oratores?*
§. III. Notatio nominis et Conjugata . . . . 119
*Cur Notationem nominis et Conjugata ad unum caput revocamus?*
*Quid est Notatio?*
*Quomodo uti possumus Notatione nominis?*
*Quandonam potissimum utendum est Notatione nominis?*
*Quid sunt Conjugata?*
§. IV. Genus et Species, seu Forma . . . . 122
*Quid est Genus, quid Species?*
*Qua potissimum ratione ex Genere argumentum ducimus?*

*Affer sodes exemplum italicum in quo a Specie ad Genus fiat transitus.*
*Quod vitium in Genere tractando vitandum est?*
*Quomodo a Specie duci possunt argumenta?*
*Cedo exempla argumenti a Specie deducti.*
§. V. Similitudo et Dissimilitudo . . . pag. 126
*Quid est Similitudo?*
*Quomodo fit argumentum a Similitudine?*
*Quid Dissimilitudo?*
§. VI. Contraria et Repugnantia . . . » 128
*Quid sunt Contraria et Repugnantia?*
*Quid sunt adversa?*
*Quid sunt relata?*
*Quid sunt privantia?*
*Quid sunt contradicentia?*
*Quomodo a Contrariis argumentamur?*
*Affer illustriora exempla ex quibus latius pateat ratio argumentandi a Contrariis.*
§. VII. Adjuncta . . . . . . . . . » 131
*Quid sunt Adjuncta?*
*Quot sunt Adjunctorum genera?*
*Quomodo sumi potest argumentum ab Adjunctis?*
*Quomodo sumi argumentum potest ab habitu corporis?*
*Dicas quaeso sodes praecipua Adjunctorum genera.*
§. VIII. Antecedentia et Consequentia . » 134
*Quid sunt Antecedentia?*
*Quomodo ab Antecedentibus argumentari potest?*
*Quid sunt Consequentia, et quonammodo argumenta ducere possumus a Consequentibus?*
§. IX. Causa . . . . . . . . . . . » 136
*Quid est Causa?*
*Quid est Causa efficiens?*

*Quid est Causa materialis?*
*Quid est Causa formalis?*
*Quid est Causa finalis?*
*Quomodo argumentari debemus a Causa efficienti?*
*Quomodo argumentatur a materia?*
*Quomodo sumitur argumentum a Causa formali?*
*Quomodo denique argumentandum est a Causa finali?*
*Velim ex te audire exempla italica argumentationum a Causis.*
§. X. Effecta . . . . . . . . . . . pag. 140
*Quid sunt Effecta?*
*Velim exemplis doceas quomodo hoc loco uti possemus.*
*Exhibe exemplum italicum in quo argumentum ducatur ab Effectis.*
§. XI. Comparatio . . . . . . . . . . « 143
*Quid est Comparatio?*
*Quid discriminis est inter similitudinem et Comparationem?*
*Quomodo argumentatur a Comparatione majoris ad minus?*
*Quomodo fit argumentum a Comparatione minoris ad majus?*
*Quomodo fit argumentum a Comparatione parium?*
*Age afferas exempla italica Comparationis.*
CAPUT XII. DE LOCIS EXTRINSECIS SEU REMOTIS . . . . . . . . . . . « 145
*Quinam sunt loci estrinseci?*
*Quot sunt loci extrinseci?*
*Quomodo argumentandum est a legibus ac praejudiciis?*
*Quid est fama seu rumor?*
*Quomodo tractandus est locus a fama?*
*Quid sunt tabulae?*

*Quid est jusjurandum?*
*Quid sunt tormenta sive quaestio?*
*Quomodo infirmari poterat locus ille?*
*Quid sunt testes?*
*Quomodo infirmatur locus a testibus?*
CAPUT XIII. DE ARGUMENTORUM INVENTIONE QUAE AD TRIA ELOQUENTIAE SPECIATIM GENERA PERTINENT . . . pag. 150
*Num tria eloquentiae genera quae numeravimus propria habent argumenta?*
§. I. De inventione argumentorum quae speciatim ad genus demonstrativum pertinent . . . . . . . . . . . « ibid.
*Quae argumenta praecipue generi demonstrativo sunt aptiora?*
*Dic age argumenta quibus orator personam laudare potest.*
*Velim afferas intrinseca argumenta ad laudem alicujus.*
*Quomodo laudari quis poterit a scientia et virtutibus?*
§ II. De argumentis ad laudem extrinsecis « 152
*Quaenam vocamus extrinseca ad laudationem argumenta?*
*Quomodo laudari poterit a genere?*
*Quid facto est opus si is qui laudatur obscuro genere natus sit?*
*Quomodo ducitur laus a patria?*
*Quomodo laudari poterit ab institutione?*
*Quaenam laudari poterunt in corpore?*
*Cur caduca haec, et plerumque etiam noxia, corporis bona laudantur in homine?*
*Quomodo commendari quis poterit ab honoribus?*
*Quomodo commendari quis poterit a divitiis?*
*Quid in ipsa morte considerare potissimum debet orator?*
*Quaenam post mortem consideranda sunt?*

§. III. Animadversiones quaedam circa personarum laudationem . . . . . pag. 158
*Quaenam observanda sunt in personarum laudatione?*
§. IV. De rerum rationis expertium laudatione . . . . . . . . . . . . « 160
*Quomodo laudari possunt res ratione expertes?*
§. V. De laude urbium ac regionum . . « 161
*Quomodo laudantur urbes et regiones?*
§. VI. De argumentis ad vituperandum idoneis . . . . . . . . . . . . • 163
*Quomodo vituperari poterunt homines, res, et urbes?*
§. VII. De inventione argumentorum quae speciatim ad genus deliberativum pertinent • 164
*Quaenam sunt argumenta propria generis deliberativi?*
*Quid spectandum est in iis qui deliberant?*
§. VIII. De variis variarum aetatum moribus « 166
*Quinam sunt juvenum, virorum, ac senum mores?*
§. IX. De moribus Nobilium, Divitum, et Plebejorum . . . . . . . . . . • 168
*Quinam sunt Nobilium mores?*
*Quinam sunt divitum mores?*
*Quid sunt denique plebejorum mores?*
*Num et de variis Reipublicae formis ratio habenda est?*
*Quaenam alia in deliberatione sunt observanda?*
§. X. De inventione argumentorum quae speciatim ad genus Judiciale pertinent . • 171
*Quaenam sunt argumenta propria generis Judicialis?*
CAPUT XIV. DE ARGUMENTORUM DISPOSITIONE . . . . . . . . . . . • 172
*Quibus modis argumenta disponi possunt?*

*Quaenam est methodus analytica?*
*Quaenam est methodus synthetica?*
*Qua ratione disponenda sunt argumenta?*
*Quaenam praestanda sunt, ut argumentorum distributio facilior sit?*
CAPUT XV. DE ARGUMENTATIONE SIVE DE ARGUMENTORUM EXPOSITIONE . pag. 177
*Quid est argumentatio?*
*Quot sunt argumentorum species, seu quot modis tractari possunt argumenta?*
§. I. De Syllogismo . . . . . . . . . ibid.
*Quid est Syllogismus?*
*Quaenam sunt partes Syllogismi oratorii?*
*Semperne constat quinque illis partibus Syllogismus oratorius?*
*Quid vero intererit inter Rhetorem et Philosophum, si uterque tripartitum Syllogismum adhibeat?*
*Numquamne logicus et naturalis servatur ordo in Syllogismis oratoriis?*
*Syllogismi oratorii affer exemplum ab italico oratore depromptum.*
§. II. De Enthymemate . . . . . . . . 181
*Quid est Enthymema?*
*Quot partes habet Enthymema et quomodo fit?*
*Quodnam est optimum Enthymematis genus?*
*Cur Enthymemate magis gaudere vulgo dicitur orator quam syllogismo?*
*Affer Enthymematis exemplum.*
§. III. De Epichiremate . . . . . . . . 183
*Quid est Epichirema?*
§. IV. De Dilemmate . . . . . . . . . 184
*Quid est Dilemma?*
*Unde nomen suum traxit Dilemma?*
*Qua ratione solvi potest Dilemma?*
*Afferas velim exemplum italicum.*

§. V. De Sorite . . . . . . . . . pag. 186
*Quid est Sorites?*
*Cedo exempla aliqua Sorites.*
§. VI. De Inductione . . . . . . . . . 188
*Quid est Inductio?*
*Quid observandum est in Inductione?*
*Cedo exemplum italicum Inductionis.*
§. VII. De Exemplo . . . . . . . . . 190
*Quid est Exemplum?*
CAPUT XVI. De Confutatione . . . . . 191
*Quid est Confutatio, et quomodo fit?*
*Cedo exemplum Confutationis Tullianae.*
*Nunc velim proferas Confutationis exemplum ex Segnero.*
CAPUT XVII. De Affectibus excitandis « 197
*Quid nobis est dicendum antequam de Peroratione loquamur?*
*Quid est affectus?*
*Quot sunt affectus?*
§. I. De Amore et Odio . . . . . . . . 198
*Quid est Amor, et quaenam sunt dotes ac conditiones Amoris?*
*Quo pacto conciliandus est Amor?*
*Quid est Odium, et quanam arte concitandum?*
§. II. De Ira atque Indignatione . . . « 203
*Quid est Ira?*
*Quomodo excitatur, et incenditur Ira?*
*Affer illustre aliquod exemplum Irae concitatae.*
*Quid est Indignatio?*
*Quomodo ab invidia differt Indignatio?*
*Quomodo concitatur Indignatio?*
*Cedo exemplum italicum Indignationis concitatae.*
§. III. De Mansuetudine . . . . . . . « 209
*Quid est Mansuetudo?*
*Quaenam est ars conciliandae clementiae?*
**

*Ostendas ab aliquo Segneri exemplo quomodo mansuetudo et clementia excitantur.*
§. IV. De Misericordia . . . . . . pag. 212
*Quid est Misericordia?*
*Quaenam sunt artes ad Misericordiam conciliandam idoneae?*
§. V. De Laetitia et Aegritudine . . . « 215
*Quid est Laetitia, et quibus artibus excitatur?*
*Quid est Aegritudo, et quanam ratione excitatur?*
§ VI. De Consolatione . . . . . . . « 219
*Quid est Consolatio, et quaenam sunt Consolationis causae?*
§. VII. De Metu, Spe, et Audacia . . . « 222
*Quid est Metus sive timor, et qua arte concitatur?*
*Quid est Spes, et quaenam sunt ad spem incitamenta?*
*Quomodo concitatur Audacia?*
§. VIII. De Aemulatione . . . . . . . « 228
*Quid est Aemulatio?*
*Quanam arte Aemulationem concitabimus?*
*Affer exempla Aemulationis concitatae.*
§. IX. Concluditur doctrina de affectibus « 231
*Quomodo concluditur doctrina de affectibus?*
*Num aliquid addi potest huic de affectibus doctrinae?*
CAPUT XVIII. DE PERORATIONE . . . . « 232
*Quid est Peroratio, et quot partibus constat?*
§. I. De Peroratione per enumerationem « 233
*Quomodo fit Peroratio per enumerationem?*
*Quid observandum est in enumeratione, seu anacephalaeosi?*
*Cedo illustre aliquod exemplum Perorationis per anacephalaeosim.*

*Affer exempla italica Perorationis per anacephalaeosim.*

§. II. De Peroratione per affectuum commotionem . . . . . . . . . . pag. 236

*Quomodo fit Peroratio per affectuum commotionem?*

*Quomodo concitari possunt affectus in Peroratione?*

*Quinam praecipue motus ciendi sunt in Peroratione?*

*Quaenam sunt praecipuae virtutes Perorationis?*

*Afferas velim nonnulla Perorationis exempla.*

*Cedo exempla italica Perorationis per motum affectuum.*

CAPUT XIX. De Orationis synopsi . . 246

*Cur hoc loco de orationis Synopsi sermonem facimus?*

*Quid est Synopsis et quotuplex?*

*Cedo exemplum Synopsis quae tantum summa capita orationis notat.*

*Affer exemplum Synopsis secundi generis.*

*Cedo tertii generis Synopsis exemplum.*

CAPUT XX. De Sacra Eloquentia . . . 249

*Quaenam est sacra eloquentia?*

*A quo concionandi munus Apostolis datum est?*

*Quodnam dixeris esse concionatoris officium?*

*Quid praestare debet orator christianus ut rite suum officium adimpleat?*

*Quodnam debet ergo esse primum sacri oratoris propositum?*

*Quid animadvertendum est in argumentorum delectu?*

*Quid in primis meminisse debet christianus orator?*

*Num auditorum ingenia oratori cognoscere oportet ut apte doceat?*
*Quid igitur sacro oratori curandum est, ut ab omnibus intelligatur?*
*Nonne aliquando praestabit oratorem prae se ferre aliquid rusticitatis?*
*Quodnam erit secundum sacri concionatoris propositum?*
*Quid cavendum est in suaviter dicendo?*
*Licetne sacro oratori alicujus concionandi rationem, a Patrum Ecclesiaeve more abhorrentem, delectandi auditores causa imitari?*
*Quodnam est denique sacri oratoris tertium propositum?*
*Quid curandum est in affectuum commotione?*
*Numquamne orator succensere et irasci potest?*
*Num praestat ad flectendos animos flebili sermone dicere?*
*Undenam sacri oratoris verba vim, ac robur accipiunt?*
*Quid ponderis affert eloquentiae oratoris exemplum?*
*Quid obest eloquentiae sacrae non probata concionatoris vita?*
*Praestatne in sacro oratore doctrina, an vitae probata ratio?*
*Quinam sunt loci sacrae eloquentiae proprii?*
*Dicas quaeso nonnulla de Scriptura Sacra.*
*Quid de Sanctis Patribus dicendum est?*
*Nonne et studium Ethnicorum aliquid habet utilitatis?*
*Quid dicendum nobis de Theologia?*
*Quid affert oratori ecclesiastico historia ecclesiastica?*
*Quid de doctrina ascetica dicemus?*

*Potestne orator a philosophia aliisque profanis disciplinis aliquid depromere?*
*Quibus praeceptoribus, ut quidquid est artis ad dicendum teneat, sacer orator uti potest?*
*Quot sunt genera Sacrae Orationis?*
§. I. De Genere Didascalico . . . . pag. 266
*Quaenam sunt Orationes quae ad genus didascalicum spectant?*
*Quid dicendum de oratione morali?*
*Quid dicendum est de controversiis?*
§. II. De Genere exhortativo . . . . . 268
*Quid est genus exhortativum?*
*Potestne genus exhortativum cum didascalico conjungi?*
§. III. De explanatione Evangelicae Lectionis vel Sacrarum Scripturarum . . . . 269
*Quomodo Orator in explanandis lectionibus Evangelii vel Scripturarum se gerere debet?*
§. IV. De Homilia . . . . . . . . . . 270
*Quid est homilia, et quotuplex?*
*Quid est homilia simplex?*
*Quaenam est homilia oratoria?*
§. V. De Panegyrica Oratione . . . . . 271
*Quid sibi vult panegyrica oratio?*
*Quaenam est orationis panegyricae forma?*
*Quot sunt panegyricae orationis genera?*
§. VI. Quod sine auxilio Dei de Deo nemo potest recte dicere . . . . . . . 273
*Undenam Sacro Oratori principium elocutionis, et totius eloquentiae sumendum est?*
CAPUT XXI. De Pronuntiatione . . « 274
*Quid dicendum est de Pronuntiatione?*
*Quid est Pronuntiatio?*
*Quot res sunt ad recte pronuntiandum necessariae?*
§. I. De Memoria . . . . . . . . . . 275

*Quid est Memoria?*
*Quid est artificialis Memoria?*
*Quaenam sunt Artificia Memoriae?*
§. II. Quae artes memoriam adjuvant . pag. 277
*Quibus artibus vere juvari potest Memoria?*
§. III. De Voce . . . . . . . . . 278
*Quid de Voce dicendum est?*
§. IV. De monotonia et cantu . . . . . 280
*Quid huic gratae varietati opponitur?*
*Qua ratione huic vitio poterit occurri?*
§. V. De Gestu . . . . . . . . . . . 283
*Quid Vocem subsequitur?*
*Quid in Gestu generatim et universe cavendum est?*
*Quid de totius corporis motu praecipiendum?*
*Quid in capitis et oris totius conformatione servandum est?*
*Quid in brachii moderatione servandum?*
*Quid circa manus digitosque praecipitur?*
CAPUT XXII DE NONNULLIS ALIIS ELOQUENTIAE GENERIBUS . . . . . . . . 290
*Suntne alia genera eloquentiae praeter oratorium?*
*Quaenam sunt genera eloquentiae praeter oratorium?*
§. I. De Epistolis . . . . . . . . . . 291
*Quid est Epistola?*
*Quaenam sunt Epistolae familiaris dotes?*
*Quid aliud praestare debet Epistola?*
*Quaenam sunt Epistolarum genera?*
*Quibus partibus constat Epistola?*
*Quid cavendum est in conscribendis Epistolis?*
*A quibus exempla Epistolarum optimarum imitanda eligemus?*
*Habui quos imiter ex latinis, nunc, quaeso, de Epistolarum scriptoribus italicis nonnullos proponas velim.*

§. II. De scriptis didascalicis, seu ad docendum pertinentibus . . . . . . . . pag. 296
*Quid dicendum de scripturis ad docendum pertinentibus?*
*Debetne ornari oratio quae ad docendum pertinet?*
*Quinam scriptores in didascalico genere excelluerunt?*
§. III. De Dialogo . . . . . . . . . « 297
*Quid est Dialogus?*
*Quot sunt Dialogorum genera?*
*Quaenam sunt Dialogi partes?*
*Quaenam in Dialogo est personarum ratio?*
*Quaenam est Dialogi forma?*
*Quinam sunt Dialogorum scriptores optimi apud veteres?*
*Quinam sunt scriptores italici in hoc genere commendandi?*
*Quid observandum est in colloquentium personis?*
*Quid de elocutione dicendum est?*
CAPUT XXIII. De Scriptis ad historiam pertinentibus et de historia . . « 301
*Quid est Historia?*
§. I. De Inscriptionibus generatim, et de nummariis speciatim . . . . . . . . « 302
*Quid est Inscriptio?*
*Quaenam sunt Inscriptiones nummariae?*
§. II. De Inscriptionibus lapidariis . . . . « 303
*Quaenam lapidariae Inscriptiones dicuntur, et quibus generibus continentur?*
*Quaenam sunt Inscriptionum cujusque generis dotes, ac virtutes?*
*Quid cavendum in Inscriptionibus?*
*Undenam exempla Inscriptionum sumenda?*
*Possuntne Inscriptiones confici vernaculo sermone?*

§. III. De Diariis, et Commentariis, et Annalibus . . . . . . . . . . pag. 306
*Quid est Diarium?*
*Quid sunt Commentarii?*
*Quid sunt Annales?*
§. IV. De Vitis, seu Biographiis . . . . . 308
*Quid est Vita?*
*Quaenam sunt in Vitae narratione potissimum servanda?*
*Num omnia in narratione Vitae dicenda?*
*Num in Vitis omnia vel parva, vel parvi momenti praetereunda sunt?*
*Dicas quaeso qui inter Italos in excellentium virorum Vitis describendis excelluere.*
§. V. De Historia . . . . . . . . . . 311
*Quid est Historia, et quotuplex?*
*Quid dicendum de Historia universali, et singulari?*
*Quaenam sunt Historiae, sive universae, sive peculiaris leges?*
*Quaenam sunt Historiae dotes?*
*Quid aliud praeter dotes, de quibus dictum est, historico praestandum est?*
*Quid dicendum de iis qui conciones sive allocutiones Historiae inserunt?*
*Quem stylum Historiae convenire dicemus?*
*Scire velim qui praestantiores fuere apud Graecos Historiae Scriptores.*
*Gratum facies si de Latinis Historicis nonnulla dicas.*
*Quid dices de Italis Historiae scriptoribus?*

# INDICULUS SCRIPTORUM

## EX QUIBUS EXEMPLA SUMPTA SUNT

### IN HOC LIBRO DE ARTE ORATORIA

## SCRIPTORES LATINI

### Ex Cicerone


| | | |
|---|---|---|
| Qua ratione orator risum excitare possit | pag. | 45 |
| Exordium quod appellant *Principium* | » | 53 |
| » vehemens. . . . . . . . | » | 55 |
| » Insinuationem . . . . . . | » | 58.60 |
| Abruptae orationis exemplum . . . | » | 65-66 |
| Quomodo conciliatur benevolentia . . | » | 71-72 |
| Exemplum Propositionis . . . . . . | » | 88 |
| » Partitionis . . . . . . | » | 94 |
| » Narrationis oratoriae . . | » | 104 |
| » Definitionis oratoriae . . . | » | 112 |
| Quomodo fit argumentum a Definitione | » | 113 |
| » ab Enumeratione partium . . | » | 115-16-17 |
| » a Notatione . . . . . . | » | 120 |
| » a Conjugatis . . . . . . | » | 122 |
| Quomodo ab Hypothesi fit transitus ad Thesim . . . . . . . . . . | » | 123 |
| Argumentatio a Specie . . . . . . | » | 125 |
| » a Similitudine. . . . . | » | 126 |
| » a Dissimilitudine . . . . | » | 127 |
| » a Contrariis . . . . . | » | 129-30 |
| » ab Habitu corporis . . | » | 132 |
| » ab Antecedentibus . . . | » | 134-35 |
| » a Consequentibus . . . . | » | 136 |

| | |
|---|---|
| Argumentatio a Caussis . . . . . . pag. | 138 |
| » ab Effectis . . . . . . » | 141 |
| » a Comparatione . . . . » | 143-44 |
| Analysis . . . . . . . . . . . . » | 172 |
| Synthesis . . . . . . . . . . » | 173 |
| Syllogismus oratorius . . . . . . » | 178 |
| Enthymema . . . . . . . . . » | 182 |
| Dilemma . . . . . . . . . . » | 185 |
| Exemplum . . . . . . . . . . . » | 190 |
| Quomodo fit Confutatio . . . . . . » | 191-92 |
| Confutationis Exemplum . . . . . . » | 194 |
| Quomodo concitatur Indignatio . . . » | 206 |
| » Clementia. . . . » | 209-10 |
| » Laetitia . . . . » | 216 |
| » Consolatio. . . . » | 219 |
| » Metus . . . . . » | 222 |
| » Spes . . . . . » | 224 |
| Peroratio per anacephalaeosim . . . . » | 234 |
| » per motum affectuum . . . » | 239 |


### Ex Floro


| | |
|---|---|
| Laus Campaniae . . . . . . . . . » | 162 |


### Ex Horatio Flacco


| | |
|---|---|
| Aetatis cujusque mores . . . . . . » | 166 |
| Quomodo concitatur Indignatio . . . » | 207 |


### Ex Livio


| | |
|---|---|
| Enumeratio partium . . . . . . . » | 118 |
| Argumentatio ab Adjunctis . . . . . » | 131 |
| Confutatio per Indignationem . . . . » | 193 |
| Quomodo concitatur Ira . . . . . » | 204 |
| » Misericordia . . . » | 213 |
| » Audacia. . . . . » | 225 |
| » Aemulatio . . . . » | 229 |

### Ex Ovidio

Quomodo concitatur Indignatio . . pag. 207
» Misericordia . . » 214

### Ex Plinio Secundo

Laus Italiae . . . . . . . . . . « 162

### Ex Sallustio

Quomodo concitatur Aegritudo . . . » 217
Peroratio per anacephalaeosim . . . » 234

### Ex Seneca

Inductio . . . . . . . . . . . » 188

### Ex Tacito

Quomodo concitatur Odium . . . . » 201
» Audacia . . . » 226

### Ex Terentio

Conjugata . . . . . . . . . . . » 122
Argumentum a comparatione . . . . » 143

### Ex Tertulliano

Dilemma . . . . . . . . . . » 184

### Ex Virgilio Marone

Inductio . . . . . . . . . . . » 188
Quomodo concitatur Amor . . . . . » 199
» Ira . . . . . » 203-04

Quomodo concitatur Indignatio . . . pag. 205
» Metus . . . . » 223
» Spes . . . . . » 224
» Audacia . . . . » 226

## SCRIPTORES ITALICI

### Ex Bartolo Daniele

Argumentatio ab habitu corporis . . . « 133

### Ex Boccaccio Joanne

Enumeratio partium . . . . . . « 117

### Ex Buonmatteo Benedicto

Quomodo a Specie fiat transitus ad Genus . . . . . . . . . . . « 124

### Ex Casa Joanne

Insinuatio . . . . . . . . . . « 62
Propositio . . . . . . . . . . « 89
Partitio . . . . . . . . . . . « 94
Argumentum a Specie . . . . . . « 125
« a Consequentibus . . . « 136
« a Causa materiali . . « 139
« a Causa formali . . « ibid.
« a Comparatione . . . « 145
Dilemma . . . . . . . . . . « 186
Peroratio per motum affectuum . . « 240

### Ex Commenduno Joan. Francisco

Argumentum a Comparatione . . . « 144

Ex Giambullario Petro Francisco

Exemplum abruptae orationis . . pag. 67

Ex Guicciardinio Francisco

Exemplum abruptae orationis . . « 69
Peroratio per anacephalaeosim . . « 235

Ex Guidiccionio Joanne

Partitio . . . . . . . . . . . « 96

Ex Lollio Alberto

Propositio . . . . . . . . . . « 89
Narratio . . . . . . . . . . « 105
Expositio . . . . . . . . . . « 106
Enumeratio partium . . . . . . « 116
Conjugata . . . . . . . . . . « 122
Argumentum à Dissimilitudine . . « 128
» a Causa efficiente . « 139
» a Causa finali . . . . « 140
» ab Effectis . . . . . « 142
» a Comparatione . . . . « 145
» ab Exemplo . . . . . « 190

Ex Passavanti Jacobo

Notatio . . . . . . . . . . . « 121

Ex Polo Reginaldo

Exordium quod appellant *Principium* « 54

Ex Salvinio Antonio Maria

Definitio oratoria . . . . . . . « 112
Argumentum ab Adjunctis . . . . . « 132

## Ex Segnero Paulo


| | | |
|---|---|---|
| Principium vehemens | pag. | 56 |
| Insinuatio | « | 63 |
| Propositio | « | 90 |
| Argumentum a Definitione | « | 113 |
| « ab Enumeratione | « | 118 |
| « a Similitudine | « | 127 |
| « a Contrariis | « | 130 |
| « ab Antecedentibus | « | 135 |
| Syllogismus oratorius | « | 180 |
| Enthymema | « | 182 |
| Inductio | « | 188 |
| Confutatio | « | 195 |
| Quomodo concitatur Amor | « | 200 |
| « Odium | « | 201 |
| « Indignatio | « | 208 |
| « Clementia | « | 211-12 |
| « Misericordia | « | 214 |
| « Laetitia | « | 216 |
| « Aegritudo | « | 218 |
| « Consolatio | « | 221 |
| « Metus | « | 223 |
| « Spes | « | 225 |
| « Audacia | « | 227 |
| « Aemulatio | « | 229 |
| Peroratio per anacephalaeosim | « | 235 |
| per motum affectuum | « | 244 |


## Ex Tolomeo Claudio


| | | |
|---|---|---|
| Sorites | « | 187 |


## Ex Varchio Benedicto


| | | |
|---|---|---|
| Partitio | « | 95 |

# PRAELUDIA ELOQUENTIAE

## §. I.

*Eloquentiae laus.*



Deus ille princeps, parens rerum, fabricatorque mundi, nullo magis hominem separavit a caeteris, quae quidem mortalia essent, animalibus, quam dicendi facultate. Nam corpora quidem magnitudine, viribus, firmitate, patientia, velocitate praestantiora in illis mutis videmus; eadem minus egere acquisitae extrinsecus opis. Nam et ingredi citius, et pasci, et tranare aquas citra docentem, natura ipsa, sciunt; et pleraque contra frigus ex suo corpore vestiuntur; et arma iis ingenita quaedam, et ex obvio fere victus: circa quae omnia multus hominibus labor est. Rationem igitur nobis praecipuam dedit, ejusque nos socios esse cum Diis immortalibus voluit. Sed ipsa ratio, neque tam nos juvaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi quae concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus: quod magis deesse caeteris animalibus, quam intellectum et cogitationem quamdam videmus; nam et moliri cubilia, et nidos texere, et educare foetus, et excludere, quin etiam reponere in hyemem alimenta, opera quaedam nobis inimitabilia (qualia sunt cerarum et mellis) efficere non nullius fortasse rationis est: sed quia carent sermone, quae id faciunt muta atque irrationabilia vocantur. Denique homines, quibus negata vox est, quantulum adjuvat animus ille caelestis? Quare si nihil a Diis oratione melius acce-

pimus, quid tam dignum cultu ac labore ducamus? aut in quo malimus praestare hominibus, quam quo ipsi homines caeteris animalibus praestant? Eo quidem magis, quod nulla in parte plenius labor gratiam refert. Id adeo manifestum erit si cogitaverimus unde et quousque jam provecta sit orandi facultas: et adhuc augeri potest. Nam ut omittam defendere amicos, regere consiliis senatum, populum, exercitum in quae velit ducere, quam sit utile conveniatque bono viro: nonne pulchrum vel hoc ipsum est, ex communi intellectu verbisque quibus utuntur omnes, tantum assequi laudis et gloriae, ut non loqui et orare, sed, quod Pericli contigit, fulgurare ac tonare videaris?

(*Ex Quintiliano Instit. Orat. lib.* 2. 16.)

## §. II.

### *De claris Graeciae Oratoribus.*

Cum Graecia praecipue eloquentiae studio esset incensa, multos protulit oratores; praesertim Athenae illae, in quibus omnes artes floruere. De veteribus tamen nobis praetereundum videtur, nec Pisistratum, Solonem, Clisthenem numerabimus. Tantum dicemus Periclem qui omni virtutis genere florebat, eloquentiae laude fuisse clarissimum. Hic enim apud Graecos Olympici nomen dicendo sibi vindicavit. Cleonem etiam illis temporibus eloquentem fuisse constat. Huic aetati suppares, Alcibiades, Critias, Theramenes; qua tempestate quod dicendi genus viguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest. Grandes erant verbis, crebri sententiis, compressione rerum breves, et ob eam ipsam causam interdum subobscuri.

Sed ut intellectum est quantam vim haberet accurata et facta quodammodo oratio, tum etiam magistri dicendi multi subito extiterunt: tum Leontinus, Gorgias, Thrasimacus Calcedonius, Prothagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus, in honore magno fuit, aliique multi iisdem temporibus docere se profitebantur arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) dicendo fieri superior posset. Iis opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat verbis. Extitit postea inter illos, quos paullo ante diximus, Isocrates, cujus domus, cunctae Graeciae, quasi ludus quidam patuit atque officina dicendi, magnus orator et perfectus magister, quamquam forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam nemo quidem meo judicio est postea consecutus. Is et ipse scripsit multa praeclare, et docuit alios, et cum caetera melius quam superiores, tum primus intellexit etiam in soluta oratione dum versum effugeret, modum tamen et numerum quemdam oportere servari. Tum fuit Lysias, ipse quidem in causis forensibus non versatus, sed Graeciae subtilis scriptor atque elegans, quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere. Extitit quoque Iseus cujus maxima laus est auditorem habuisse Demosthenem; Demosthenem, inquam, quem plane perfectum oratorem facile dixeris. Nihil acute inveniri potuit in eis causis quas scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute quod ille non viderit: nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quiddam esset elatius. Is

tamen naturam ipsam arte subegit: nam cum vitio linguae quodam laborasset, arte et studio superavit, humerique motum inconcinnum ensis acie cohibuit, novo quodam singularique miraculo, quod animum iis addere debet, qui haud optima natura utuntur. Hujus etiam exemplo nos naturam arte vincere posse plane compertum est. Ille enim qui primum in concionem sibilis et convicio venerat, omnium saeculorum principem oratorem facile excessit. Omnia ita industria et arte domuerat.

Huic Hypperides proximus et Eschynes fuit, et Lycurgus, et Dinarchus aliique plures. Haec enim aetas effudit hanc copiam, et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in quo naturalis inesset, non fucatus nitor. Phaleraeus postea successit eis senibus, adolescens eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus quam palestra. Itaque delectabat magis Athenienses, quam inflammabat. Hic primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit; et suavis, sicut fuit, videri maluit, quam gravis; sed suavitate ea qua perfunderet animos, non qua perfringeret; et tantum, ut memoriam concinnitatis suae, non cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum a quibus esset auditus. Cum hoc apud Graecos eloquentia pene intermortua est: nullum enim postea laude aut memoria dignum oratorem habemus.

## §. III.

### *De Latinis Oratoribus.*

Multi quidem apud Romanos, si Ciceroni credamus, oratores extitere; sed cum pauci ad nos per-

venissent, nomina solum recensere possumus. Quid enim nobis dicendum de Catone, quid de Crasso, quid de Antonio et Hortensio? sint isti laudati, sint laudandi; nos vero nullum de eorum scriptis judicium proferre possumus. Novimus etiam alios ex Quintiliano, cujus verba hic referre nobis sat erit: laudat enim hoc modo « In Asinio Pollione inventio, summa diligentia, adeo ut quibusdam nimia etiam videatur: et consilii et animi satis: a nitore et jucunditate Ciceronis longe abest. Messala nitidus et candidus, et quodammodo praeferens in dicendo nobilitatem suam; viribus minor. Cajus vero Caesar, si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur: tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo bellavit, appareat. Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia. Multum ingenii in Caelio, et praecipue in accusando multa urbanitas. Inveni qui Calvum praeferrent omnibus: et Servius Sulpicius insignem non immerito famam tribus orationibus meruit. Multa, si cum judicio legatur, dabit imitatione digna Cassius Severus. » Sunt alii multi, quos prosequi longum esset.

Oratorum vero omnium facile principem dicemus Marcum Tullium Ciceronem, qui apud posteros id consecutus est, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiae nomen habeatur. Nam mihi videtur Marcus Tullius, cum se totum ad imitationem Graecorum contulisset ( ut ait Fabius ) effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas, vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatis-

sima ubertate. Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? cui tanta unquam jucunditas adfuit? ut ipsa illa quae extorquet impetrare eum credas; et cum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in omnibus quae dicit tanta auctoritas inest ut dissentire pudeat, nec advocati studium, sed testis aut judicis adferat fidem. Cum interim haec omnia, quae vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, fluunt illaborata, et illa qua nihil pulchrius auditu est oratio, praesefert tamen felicissimam facilitatem. Hunc igitur spectemus; hoc proprium sit nobis exemplum: ille se profecisse sciat cui Cicero valde placebit.

Post Ciceronis tempora, eloquentiae studium vel declinavit vel pene interiit. Adfuere homines *qui* verbis eloquentiam docerent, re delerent, quare, nescio quo fato, ut jampridem in Graecia, sic postea Romae istis percussoribus eloquentia oblanguit. Ex istorum ludis Marcum Senecam exiisse perspicuum est, hominem et sapientem et elegantem, sed nimio studio mollem: salibus aliquando frigidum, et in compositione saepissime fractum. » Multae in eo, inquit Fabius, claraeque sententiae; multa etiam morum gratia legenda; sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo perniciosissima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum suo ingenio dixisse, alieno judicio. Nam si aliqua contempsisset, si parum concupisset, si non omnia sua amasset, si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset, consensu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. »

Plinium secundum meliorem eloquentiam coluisse non inficiamur, quod facile patebit legenti pa-

negyricum, quem ille coram Trajano habuit; studio tamen nescio quo delectandi, saepe vires illi deficiunt et cum artem nimium sectatur, vera dicendi arte caret. Quintiliano nonnullas declamationes multi tribuunt, sive illius magistri indignas, sive numquam ab illo descriptas. Praetereundi sunt et Cornelius Fronto et Aurelius Symmachus oratores, ita vivam, inconcinni inelegantesque, de quibus affirmare possumus, siccum et asperum dicendi genus fuisse. Sed de his hactenus.

## §. IV.

### *Demosthenes et Cicero.*

Demosthenis et Ciceronis virtutes plerasque arbitror similes, consilium, ordinem dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique quae sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille: hic copiosior; ille concludit astrictius; hic latius pugnat: ille acumine semper, hic frequenter et pondere: illi nihil detrahi potest, huic nihil adjici; curae plus in illo, in hoc naturae. Salibus certe et commiseratione (qui duo plurimum affectus valent) vincimus. Et fortasse epilogos illi mos civitatis abstulerit; sed et nobis illa, quae Attici mirantur, diversa latini sermonis ratio minus permiserit. In epistolis quamquam sunt utriusque, nulla contentio est. Cedendum vero in hoc quidem quod ille et prior fuit, et ex magna parte Ciceronem quantus est, fecit.

(*Ex Quintiliano Institut. Orat. lib. X.*)

## §. V.

### *Eloquentia Sanctorum Patrum.*

Christianae fidei lumine recreatus orbis novum quoddam dicendi genus, quod Romanae eloquentiae jacturam pensaret, optimeque mortalium saluti consuleret, Deo favente, audivit. Nam ut a Graecis initium faciam, eloquentiae laude statim viguit Athanasius, quem verborum perspicuitate, rerum copia, et mira argumentorum vi omnes commendant; posteaque Basilius ille Magnus, quo nemo in perpoliendа oratione exquisitior, in amplificanda uberior, in exponenda vehementior. Nervis et argumentis convincit, incredibilique suavitate auditorum animos lenit et capit: quare jure meritoque Demosthenem Christianum appellare possumus.

Gregorius Nazianzenus brevis et compressus Thucydideo more, angusto ambitu orationem constringens, acriter pugnat, attico et pereleganti stylo floret, atque verborum numerum sententiarum numero pene consectatur. Orationes suas ad artis praecepta facili studio revocasse videtur.

Gregorium Nyssenum quoque Basilii Magni fratrem, oratorem optimum dicere velim, habet enim in verbis gravitatem, in dicendo facilitatem, in sententiis copiam: nemini secundus est eruditione vel doctrina, multis anteferendus genuino styli splendore et concinnitate.

Sed quis unquam Joanne Chrysostomo vel verbis disertior, vel sententiis densior, vel numeris gratior, vel totius orationis complexione jucundior? quem non solum Tullianae eloquentiae fluvium ap-

pellarim, verum Christianorum Ciceronem. Sunt qui nonnihil asiani et redundantis in illo reprehendant; et sit ita sane, dummodo omnes hoc unum Tullii vitium cum caeteris omnibus oratorum principis dicendi virtutibus illum habere consentiant. Hos Graecia Christiana patres atque oratores praecipuos imitatione omni tempore dignissimos tulit; sive sermonis candore, sive sententiarum et doctrinae copia laudandos: ut qui illorum lectione se expleverint, eloquentes, et sanctae Dei Ecclesiae utiles futuros sperare posse, et affirmare crediderim.

Latium quoque Christianum suos protulit oratores, Graecis quidem certa dicendi munditie et politiore elegantia inferiores, non tamen vi, ac sermonis doctrinaeque gravitate. Quis enim neget Minucium Felicem eloquentiae laude praestitisse? Dialogus, quem ille inscripsit *Octavius*, puram et germanam, paucis exceptis formulis, latinitatem sapit. Quis neget eloquentem fuisse Tertullianum, qui africana, ita dicam, securi perçutit, ferit, evertit; virum omni literarum genere excultum, quamquam asperum in eloquendo et incomptum; atque ob eam ipsam causam interdum subobscurum? Quis neget disertum ac eloquentem fuisse Arnobium, cujus libri adversus gentes splendore et elegantia florere ita mihi videntur, ut praeter Lactantium, quem Arnobius auditorem habuit, styli cultu neminem huic praeferre ausim? Lactantium vero Firmianum Hieronymus ipse Tullianae eloquentiae fluvium appellavit, verbis et sententiis nobilem, ut neminem post Augusti aetatem habeamus, qui majori sermonis elegantia, et nativa quadam simplicitate niteat. Praetercam Sulpicium Severum, qui supra saeculi sui captum latine

loquitur, ut eum legens stantis reipublicae senatorem aliquem de divinis rebus disserentem audire videatur: et Cecilium Cyprianum qui, teste Lactantio, admodum multa scripsit in suo genere miranda, erat enim ingenio facili, copioso et suavi, quaeque sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas, utrum ne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Sanctus Hieronymus vero tantam in eloquendo facultatem habuit, ut omnes prope eloquentiae numeros expleverit: et, si Erasmo credamus, non Christianos modo omnes longo post se intervallo reliquit, verum etiam cum ipso Cicerone certare videtur. Hilarium etiam, quem eloquentiae impetu atque rapiditate Rhodano similem dixerunt, et Rufinum et Ambrosium eloquentes ac disertos fuisse omnes facile fatentur. Habet Augustinus suum quoddam dicendi genus, quo propius Senecae, quam Tullio accedit, doctrina maximus, et cum paucis eruditione comparandus. Utinam meliore arte copiam et rerum gravitatem exaequasset! Leo et Gregorius Pontifices, cognomento Magni, doctrina, facundia et sublimitate quadam commendantur; sed alter interdum humilis et incomptus; alter saepe tumidus et fractus ac fluctuans a nitore incorruptae latinitatis nimium abhorret. Caeterum priusquam finem imponamus hoc monitum volumus, Graecos anteferendos Latinis styli et locutionis gratia. Latinos quidem Patres eloquentissimos esse non contendimus; sed non tam voce et dictione, quam rerum pondere et dignitate: horum latinitas, si paucos demseris haud integra est, nec emunctae naris hominibus semper probata.

## §. VI.

### *De Italorum eloquentia et Oratoribus.*

Per Gothorum aliarumque barbararum gentium irruptionem, undique ab Italia extorres humaniores litterae fuerunt, quae postea Carolo Magno vindice, Romanisque Pontificibus bene adjuvantibus, barbariem paullatim exuere coeperunt, atque in tanta rerum perturbatione, veluti ex veteris latinitatis cineribus nova quaedam lingua enascebatur. Cum enim barbari latina uti oratione conarentur; nostri vero barbarorum vocabula in quotidiana sermonis consuetudine usurparent, omnes elocutionis formulae et latinae voces ex tanta permixtione et propriam significationem, et syntaxim et sonum pene amisere ita, ut diversa prorsus emerserit lingua. Quae cum rudis quidem initio et informis esset, summorum hominum ingeniis exculta et perpolita, ad eum perfectionis ac dignitatis gradum brevi pervenit, ut cum omnibus Europae linguis de principatu decertare posset. Decedente enim saeculo decimotertio extitit Dantes Aligherius, qui linguam non solum, sed eloquentiae et poesis genera omnia mirabili quadam magnificentia efformavit; ita ut ab ipsis incunabulis italicus sermo splendorem, gravitatem, et numerum latinae orationis, simplicitatem et Atticismum graecae obtinuisse videatur. Dantes enim nulli magis quam Homero comparandus rerum inventione et copia; nulli magis quam Virgilio verborum delectu et potentia, inter oratores et poetas omnes emicuisse, immo et eloquentiae ac poesi ortum et exemplum dedisse affirmare possumus. Nam ille novo naturae

veluti miraculo, coelum et terram et inferos carminibus divinis complexus, tantum de se praestitit, ut humani ingenii modum excessisse, omniumque gentium admirationem et studium in posteris sibi conciliasse dicatur. Quare cum virtutes ejus non aemulatione, sed intellectu tantum sequi possimus, unum prae aliis magistrum et ducem habere, hunc omni studio et totis viribus colere, qui caeteros longo intervallo post se reliquit, apprime debemus.

Franciscum Petrarcam quoque italicae eloquentiae parentem alterum affirmarim, qui omnibus dicendi veneribus, et suavi quadam dulcedine linguam ditavit; sed cum majorem operam latinis litteris navasset, inter poetas solum adnumerabimus; dicemusque vulgaris eloquentiae ab Aligherio principem fuisse Joannem Boccaccium, qui et copia et elegantia, et longiori quodam orationis circuitu cum Latinis interdum contendere posse videtur. Utinam iste castigatiore stylo usus esset, neque libidinis et petulantiae magistrum se praebuisset!

Joannem Villanium simplicitate et candore Herodoto similem judicamus, italorum historicorum facile principem, qui et veritate, et genuinae eloquentiae munditie nomen sibi conquisivit; et post hunc quoque longus ordo idem petentium decus venire posset, si nobis non de scriptoribus optimis sed de oratoribus sermo esset. Agamus igitur pingui Minerva, ut ajunt, et ex oratoribus primiores excellentioresque, non omnes adamussim adnumeremus, neque illos quorum elegantia parum caloris et sanguinis habet; sed solo verborum delectu et perspicuitate quadam continentur. Quis enim eloquentiae laudibus ornabit Beatum Jordanum, cujus oratio illaborata ni-

hil aliud quam felicissimam nuditatem praesefert? Neque hic nobis dicendum erit de illis, qui latinitatis studio et amore abrepti romanum eloquium quodammodo instaurare adnixi sunt, ita ut Leonis Decimi aetas, quid aureo Augusti saeculo invideret non habuisse videatur. Itaque praeteream Sadoletos, Palearios, Muretos, Riccios, Barbaros, Longolios, Sigonios, Manutios, aliosque sexcentos, et solum de illis, qui italici sermonis pulchritudine capti, recentis pene dicam latinitatis eloquentiam illustraverunt. Primus omnium ratione temporum habita, adest nobis Bonacursus a Montemagno cujus orationes ad populum Florentinum nervis et viribus valent; posteaque Petrus Bembus venit, qui cum utramque linguam optime calleret nonnullas orationes italico stylo descriptas reliquit, quae Ciceronis imaginem quamdam referrent, nisi imitationis studium saepe eloquentiae vires infringeret. Joannem Georgium Trissinum, Polum, Commendunum, et Guidiccionem oratores fuisse assentiamus; vel ubertate vel rerum pondere vel copia argumentorum, vel floribus dicendi; nec inficiemur inter bonos oratores recensendos esse Bartholomeum Cavalcantem, Scipionem Ammiratum, Paulum Parutam: quamquam hi omnes vel parum pressi, vel nimis redundantes, vel aliquando incompti, vel interdum etiam nimis verborum solliciti judicarentur. Inter caeteros, doctorum hominum consensu, eminuisse fatemur Albertum Lollium, qui tamen et ornatu nimio, et quadam verborum luxurie saepe frigescit; et Speronem Speronium, qui dedita opera periodi structuram ita confecit, ut paribus complexa verbis oratio plerumque numeris iisdem aures adimpleat, atque lectoris ani-

mum quadam molestia constringat: denique Joannem Casam, quem nostrorum oratorum principem esse Itali omnes uno ore consentiunt. Nemo enim illo copiosior, nemo beatissima fluiditate exornatior. Mirabili exorditur arte, dividit, narrat, probat, refellit. Hic unum sibi imitandum Ciceronem proposuit, et tantum ingenio polluit, ut aliquando ejus orationes perlegens, Ciceronem ipsum exaudire dicentem pro rostris credas. Aliquando tamen luxuriatur, et ob eam ipsam peccat imitationem. Nam dum vestigiis Tullii ingredi semper imitatione duce demonstrat, saepe frigidus, arte detecta, et exanguis evadit; ita ut ab eodem, pene dicam, fonte et vitia et virtutes hausisse videatur. Perfectus tamen orator haberi potest, dummodo servilitatem illam imitationis, quae interdum illi obfuit, caute scienterque caveamus. Commendare possem et deberem Bernardum Davanzatum, Benedictum Varchium, Torquatum Tassum, Salviatum, Salvinium aliosque multos qui postea vixere et eloquentiae laude viguerunt; sed cum hi academico quodam modo oratores, non in concionum tempestatibus, sed in umbra ac in ludo se exercuerint, elegantes ac disertos persaepe fuisse, non tamen perfectos oratores affirmabimus.

Nunc venio ad illos qui sacram eloquentiam in Italia coluere, et qui omnibus aliis praestant sive doctrinae sanctitate, sive eloquentiae ubertate; non enim historiam retexere, sed exempla quaedam ante oculos ponere in animo est. Horum primum esse omnes consentiunt Paulum Segnerum qui ex sui saeculi ludibrio emergens, sacram eloquentiam sive refecit, sive recreavit. Nam in illo et Magni Basilii atticum leporem ac vim, et Gregorii Nazianzeni com-

pressionem atque sublimitatem, Chrysostomi denique felicissimam copiam ac facilitatem invenies. Omnes oratoriae virtutes in illo reperiuntur. Perspicuus in narrando, in pugnando acerrimus, in commovendo ardens. Affectus omnes vel illos mites, vel hos concitatos in sua potestate retinet. Nihil est tam difficile, quod argumentis non vincat, nihil tam vulgare, quod verbis ac sententiis non illustret. Non enim pluvias, ut olim Pindarus ait, aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. Quod si aliquando aetatis suae vitiis indulgere videtur, ignoscendum sane homini, cujus ingenio ab irridendis et inanibus nugis eloquentia emergens, ad pristinum dignitatis gradum pervenisse videtur.

Franciscus Cassinius Segnerum imitatus, novam concionatoribus viam stravit, laudemque summi oratoris sibi peperit, evangelica quadam libertate insignis: idem energia, ut Graeci dixere, et facili cultu orationem acuit.

Joannem Granellium, Quiricum Rossium, Hieronymum Trentum, Jacobum Bassanum inter concionatores bono jure laudaverim, quamquam omnes imitatione Segneri virtutes assequi non potuerunt. Hos, me judice, antecellit Hieronymus Torniellus, ornatus et ardens, in descriptionibus evidens, verborum et actionis genere caeteris commotior. Is tamen nimium imaginationi tribuisse videtur, poetis quam oratoribus affinior.

Veninium, Pellegrinium, Turchium, Luinium, merito efferam encomio; dicam tantum Pellegrinium et Veninium stylo nimis elaborato orationem floruisse, Turchium vehementem, compressum, et quasi philo-

sophorum more disputantem, nescio quid Gallici sapere, exemplumque, ita vivam, periculosae orationis praebere (saepius enim de humanis civilibusque rebus quam de divinis disserit) quod vitium maximum in sacro oratore plane affirmarim: Luinium ambitioso quodam verborum ambitu orationem saepe circumducere.

Quod si de recentioribus quoque nobis dicendum sit, affirmabimus aetate nostra homines vel sublimitatis amore, vel novitatis studio, saepe nubes et inania captare; alios magis verborum quam rerum sollicitos, inanem et frigidam orationem reddere, alios verborum cura posthabita, incomptam et rudem, et pene dicam balbutientem eloquentiam adhibere. Nec desunt qui ex academiae umbraculis sacrae eloquentiae fontes deducere studuerint, et profano quodam ausu vim omnem et nervos eloquentiae infringere; quibus hoc unum dicemus, sacri concionatoris officium esse, docendo animos hominum salutari affectuum commotione perstringere, pietate imbuere, divinaeque charitatis flammis accendere, quod quidem nemo praestare poterit, nisi et ipse ad dicendum ardens et inflammatus accesserit.

PRAELUDIORUM FINIS.

# CAPUT I.

## DE ELOQUENTIA GENERATIM

*Quid est Eloquentia?*

R. Est facultas apte dicendi, ut quod oratio nostra postulat id facile assequatur. Dicitur facultas quia *facile dicunt* qui hac instruuntur: *apte dicendi* quia in hoc praecipue vis omnis orationis sita est: denique *ut id quod postulat oratio assequatur*, quod hic eloquentiae finis est. Quare optime Tullius nihil aliud esse eloquentiam affirmavit, quam sapientiam ipsam copiose loquentem. Sunt qui definiunt eloquentiam artem dicendi apposite ad persuasionem: belle quidem, cum officium oratoris sit ad persuadendum dicere accommodate. Sed cum non solum oratoriam verum etiam artes scientiasque omnes eloquentia complectatur, potior nobis ea visa est definitio quam proposuimus.

*Quomodo dici potest eloquentiam artes scientiasque omnes complecti?*

R. Quod in artis cujusque et scientiae praeceptis eloquentia dominatur, cunctasque res ornat. In epistolis familiaribus, in disputationibus philosophicis, in historia locum eloquentia obtinet, dicentemque de quaque arte vel scientia optime adjuvat. Quare nos antea tres esse orationis fines docuimus, nempe *docere, delectare, movere*, idest suadere. Eloquens igitur erit is, qui cum aliquid docere velit, doctrinam accommodate praebebit, cum delectare, delectationem, cum denique movere, suasionem. Delectare possumus si sententias, ac imagines, verbis selectissimis expressas figurisque exornatas in medium profera-

mus: docere, si argumentis et testibus convincamus; suadere denique, si affectuum titillatione, et perturbatione quadam voluntatem impellamus.

*Quid differunt inter se convincere et persuadere?*

R. Hoc differunt quod convincamus ratione et argumentis, persuadeamus motu et impulsu. Unde convincere proprie pertinet ad intellectum, persuadere vero ad affectum et voluntatem. Convincimus docendo, eoque oratio plus habet argumentorum: persuademus inflammando, ac propterea plus habet caloris. Convincendo assequimur ut auditores sciant quid facto opus sit: persuadendo ut velint et audeant; quare persuasionis partes sunt veluti faces ad inflammandos animos, ut rem bene, idest ad oratoris voluntatem agant. Potest oratio id sibi tantum proponere ut convincat; potest ad suasionem quae proxima est accedere. Sed hoc custodiendum in primis est, ut cum ad persuasionem processeris, apte argumentis sit confirmata. Nihil enim affectus perturbat, nisi antea comprobatum sit; neque oratio ulla persuadere homini aliquid potest nisi antea convicerit. Convincere ergo prima persuasionis pars erit in qua multum elaborandum est: saepe enim accidit ut voluntas urgeri non possit quum adhuc ambigat intellectus.

*Num eloquentia ab arte ortum duxit?*

R. Non ab artificio eloquentiam sed ab eloquentia artificium natum esse fatebimur. Cum enim homines animadvertissent quosdam oratione quod vellent assequi, sermonem illorum ad artificium traduxerunt. Omnes homines cum aliquid magni momenti agunt, copiose et eloquenter, natura docente, agunt, et istorum observatione ars orta est. Quare nos na-

turae ipsius vestigia sectantes artem docemus, quae nihil aliud est quam ipsa docens natura a qua recedere nefas est.

*Potestne in partes eloquentia dividi?*

R. Potest in partes veluti gradus dividi, prout dicentis finis erit. Prior gradus est cum delectationis causa orationem habeamus: hoc enim eloquentiae genus quod in voluptate moratur infirmum ac tenue dicemus. Quamquam autem voluptatis causa dicamus, aliquid utilitatis oratio prae se ferre debet: quidquid enim inutile est, spernendum est. Hujuscemodi sunt praelectiones academicae, fabulae, narrationesque ex ficto compositae, in quibus etsi omnia ad delectandum sint accommodata, tamen nisi aliquid succi et saporis habeant, insulsa et nullius ponderis erunt. Ornatu itaque verborum et imaginibus delectationem, sententiis utilitatem quamdam afferre debent.

Secundus erit gradus eloquentiae cum ad docendum vel convincendum aggredimur, in quo forensis eloquentia maxime versatur. Nihil enim hodierno judiciorum more sibi proponere potest orator, quam sive accusationis sive defensionis veritatem comprobare, ita ut judex argumentorum vi convincatur. In quo non parum artis inest, cum non solum invenire et disponere, sed etiam inventa exprimere et exornare oporteat. Eloquentia etiam quae in docendo consistit hoc loco collocanda est: praeceptis enim et ordine lucido tota continetur.

Tertius sublimiorque gradus eloquentiae est cum ad suasionem orator contendit. Postquam enim argumentis rem comprobavit, inflammatis affectibus id conatur ut voluntatem audientium flectat, et ad se

trahat, in quo maximus est orationis triumphus. Nam hic non exorare sed dominari videtur oratio, quae nisi magnis ingenii animique viribus suffulta sit hoc assequi nequit. Magnos enim affectus ab oratore in auditores descendere quodam naturali et prono alveo videmus, vivasque voces imis pectoribus inhaerere, ita ut eloquentis dictum audientium animos ad se rapiat. Quod certe evenire non potest nisi inflammatus et ardens orator ad accendendos auditorum affectus accedat.

## §. I.

### *Quaestionem esse vel infinitam vel finitam.*

*Quotuplex est quaestio quae oratori ad dicendum proponi potest?*

R. Duplex. Alia est infinita seu universalis, alia finita seu singularis. Quaestio infinita quae vocatur etiam *thesis* ea est quae nullis alligatur temporis, loci, et personae circumstantiis: ut si quaeratur generatim atque universe: *Sitne bellum gerendum, vel pax facienda.*

Quaestio finita, quae etiam vocatur *hypothesis, et causa, sive controversia*, ea est, quae universalem quaestionem restringit, ac revocat ad certas quasdam personae, temporis, loci, reique circumstantias: ut si quaeratur: *Sitne hoc anno nobis pax facienda, iis quae ab hostibus feruntur legibus ac conditionibus?*

*Quomodo dividi possunt quaestiones sive infinitae sive finitae sint?*

R. Quaestio sive infinita sit sive finita dividitur quadrifariam. Primo in quaestionem *cognitionis* et *actionis*. Quaestio cognitionis ea est, quae instituitur solius scientiae gratia: ut = *Quae sit causa defectus solis?* = *Sitne terra major quam luna?* = Quaestio actionis ea est cujus finis est aliquid efficere: ut = *An liceat vim vi repellere?* = *An inimicis sit ignoscendum?* =

Praeterea quaestio vel est *principalis*, vel *incidens*. Principalis dicitur ea, quae praecipue venit in controversiam; incidens vocatur quae tractatur propter aliud. Ita in Ciceronis oratione pro Sexto Roscio principalis haec quaestio est = *An Sextus Roscius occiderit Patrem?* = Incidens = *An parricidae quiete somnum ducere post caedem patris possint?* =

## §. II.

### *De statu causae.*

*Quid est status causae?*

R. Status causae est id quod et orator praecipue sibi obtinendum, et auditor, vel judex spectandum maxime intelligit. In hoc enim causa consistit. Quare necesse est ut orator statum proprium ac definitum sibi proponat, illumque continuo ante oculos habeat. Nam qui sine lege vagatur, nil certi sibi statuens, neque orationis, pene dicam, ictum dirigit, nullum fructum dicendo percipit. Auditor enim aciem oculorum mentis eo intendit, omnia perpendit, animoque reponit, et delectatione quadam recolit.

*Quotuplex est causae status?*

R. Triplex: 1 *conjecturae*, 2 *finitionis*, 3 *qualitatis.* In his Cicero omnia quae aut in controversiam, aut in contentionem venire possunt contineri putat, nempe = *sitne* = *quid sit* = *quale sit factum.* = *Conjecturalis* causae status is est, in quo quaeritur, et conjici debet an factum sit: ut in Oratione Ciceronis pro Coelio quaeritur = *Utrum Coelius venenum Clodiae paraverit.* = *Definitivus* is est in quo quaeritur et definiri debet quid sit quod factum est: ut in Tullii oratione pro Plancio, = *An largitio pecuniae facta ab ipso sit ambitus.* = *Qualitatis* denique is est in quo quaeritur quale sit id quod factum esse constat: ut in oratione Tulliana pro Milone quaeritur = *Jure necne Milo Clodium occiderit.* =

*Quid observandum est in statu causae constituendo?*

R. Hoc primum, ut nihil dicat orator cui non insit ratio, et quo judicium referatur, et quod rem maxime contineat. Deinde etiamsi pro causa multa dicturus sit, eo intendat ut quid maxime auditoribus liquere velit declaret. Denique si eligendi facultas datur, argumentum praeferat in quo ut finis sic status sit minime communis: quo et attentionem auditorum novitate, et animum melius captabit.

*Cum igitur*, ait Tullius de Orat. lib. 2. 27. *accepto causae genere et cognito, rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam quid sit illud quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quae sit propria quaestionis et judicii: deinde illa duo diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram, aut eorum quos defendimus: alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus,*

*ad id quod volumus, commovendos. Ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut probemus vera esse ea quae defendimus: ut conciliemus nobis eos qui audiunt: ut animos eorum, ad quemcumque causa postulabit motum, vocemus.*

## §. III.

### *De diversis orationum generibus.*

*Quot sunt orationum genera?*

R. Quamquam non ut singulae artes certis finibus eloquentia contineatur, sed ubique longe lateque dominari possit, tamen quoniam hoc loco oratorem praesertim instituendum suscepimus, de illa eloquentiae parte, quae ad artem oratoriam attinet, breviter lucidoque ordine loquamur. Cum itaque oratoris officium sit dicere de his rebus quae ad civilem vitae usum pertinent, et moribus ac legibus sunt constitutae, tria causarum genera in quibus orator versari potest, esse statuemus: nam ex Cicerone et Fabio quos magistros assumpsimus, facile patet, omnes quae haberi possunt orationes ad haec tria dicendi genera revocari, nempe 1. ad Demonstrativum, cujus finis honestas est: 2. ad Deliberativum, cujus finis utilitas: 3. ad Judiciale cujus est finis justitia.

*Cur veterum divisionem hic sequuti sumus?*

R. Mirabitur fortasse quispiam me ab illa, a recentioribus proposita, divisione, quam et ipse alibi sum sequutus, nunc abhorrere: cui ego facile respondebo, me tantum ab illa abhorruisse, quod nobis non in senatu, neque in principum civium coetu, neque in popularibus concionibus loquendi unquam

sit oblata facultas, quod est in Gallorum et Britannorum moribus positum. Quod autem ad sacrum oratorem instituendum attinet ( quamquam haec sit quaedam ab humanis sejuncta ars, quae non tantum communibus artificiis, sed spiritu pietate doctrinaque nititur ) in genere deliberativo praesertim contineri affirmabimus. Nihilominus omnibus hisce rebus, quae ad artem universam pertinent pertractatis, tum demum de ea quoque paucis disserere nobis in animo est. Adde divisionem illam arctiore quodam circulo constringi, veteremque latius solutiusque se effundere. Hanc igitur sequuti sumus, caeterae enim species, inquit Fabius, in haec tria incidunt genera; nec invenitur ex his ulla, in qua non laudare vel vituperare ( quod est demonstrativi generis ) suadere aut dissuadere ( quod est deliberativi ), intendere quid vel depellere ( quod judicialis est ) debeamus.

## CAPUT II.

### DE GENERE DEMONSTRATIVO

*Quodnam est genus Demonstrativum?*

R. Demonstrativum genus est quod tribuitur in alicujus certae personae aut rei laudem vel vituperationem. Dicimus vero Demonstrativum, quia virtutes illo seu vitia demonstrantur. Sunt qui ab honestiore vice Laudativum appellant: honestius enim est laudare quam reprehendere. Exornativum quoque dicitur a nonnullis, eo quod majori, quam caeteris fas est, ornatu gaudeat. Ad hoc genus pertinet oratio

Panegyrica, laudatio Funebris, Genethliacon, Eucharisticon, Epinicium. Sed antequam de his singillatim, generalia quaedam praecepta attingere opus erit.

*Quid primum animadvertendum est in genere Demonstrativo?*

R. Cum in hoc genus incubueris, illud in primis animadvertas oportet, ea profecto esse laudanda quae cum virtute conjuncta sunt, quae cum vitiis vituperanda. Sit vera virtus, non ficta aut incerta; nihil enim turpius esset, quam vel falsis nominibus laudare, vel res omni laude expertes tamquam laudandas exornare. Narrandis, exponendisque factis, satius quam argumentationibus fidem facimus, et accommodate confirmamus. Nam ubi facta, quae certa sint, aut pro certis habita desint, ornatum omnem deesse, totamque orationis vim et nervos necesse est. Ornatus enim in narrando et augendo maxime consistit, quae ratio ad voluptatem auditoris et delectationem refertur.

Nulla certe voluptas audientibus erit si non propria, sed communia dices, vel non satis personae aut rei de qua agas, accommodata: expectatio audientis et admiratio a rei novitate et proprietate orta, summam habet in audiendo voluptatem. Neque ea quae laudas, parva vel parvi habenda sint, sed magna, magnique ducenda. Haec enim non solum nullam delectationem, verum etiam nullam attentionem conciliant. Quamobrem, ut docet Tullius, sumendae erunt res, aut magnitudine praestabiles, aut novitate primae, aut genere ipso singulares: neque enim parvae, neque usitatae, neque vulgares admiratione aut omnino laude dignae videri solent.

*Quid in primis spectandum est in laudando sive vituperando?*

R. Praeterea in laudando aut vituperando id in primis spectandum, ut quae omnium opinione vel laude, vel vituperatione digna existimantur, laudemus vel vituperemus. Mores et hominum opiniones considerandae sunt, ne laus aut vituperatio inanis et inficeta evadat. Quis enim apud nos virgines cum adolescentibus certantes in ludis, ut fuit Lacedaemoniorum moris, laudabit? verecundia apud nos corporis viribus praestat: neque ante oculos quidquid est hoc spectaculi, salva modestia, pati possemus. Quare Fabius monet plurimum referre qui sint audientium mores, quae publice accepta persuasio, ut illa maxime quae probant esse in eo qui laudabitur, credant, aut in eo, contra quem dicimus, ea quae oderint.

*Quid quaerere debet bonus orator?*

R. Plurimi momenti erit animadvertere ne parva magnis exaggeremus laudibus, vel magna tenuibus perstringamus: nam hoc vel risus audientium excitabit, vel judicium oratoris arguet. Is bonus orator est, qui magna graviter, mediocria subtiliter, tenuia simpliciter exponit. Quare jure bono reprehendendi sunt illi qui immoderata quadam amplificatione res omnes exornare cupiunt, cum isti non optimi testis, sed assentatoris apud auditores officio fungantur.

*Num audientium laudes attingendae?*

R. Juvabit aliquando, sive audientium, sive etiam judicum laudem permiscere, quoties apte fieri poterit, et cum materiae laude conjungatur; nam hoc benevolos reddit, atque in nostram sententiam pronos. Sed cavendum est, ne adulari videamur: adulatione enim nil turpius viliusve in oratore inveniri potest.

*Quaenam inest huic generi utilitas?*

R. Quum laudandi aut vituperandi rationes non solum ad bene dicendum sed ad bene vivendum valeant, actum erit optime, si cum alicujus sive rei sive personae orator laudes exponit, non ad ostentationem, sed ad audientium utilitatem totam orationem perducat, ita tamen ut non ad docendum, sed ad delectandum et exornandum contendere videatur. Nam cum virtutes ita depingit, ut mentes audientium capiat, tacite edocet, omnia virtuti posthabenda: cum vitia oculis audientium submittit, nil vitio pejus in vita esse declarat. Quare perspicuum est, nullum orationis genus aut uberius ad dicendum, si orator sapienter in virtutum vitiorumque cognitione versetur, esse posse, nullum civitatibus commodius, nullum denique reipublicae utilius.

*Quid in verbis et sententiis quaerendum est in oratione demonstrativa?*

R. Quoniam in his causis ad delectationem et voluptatem audientium, ut antea demonstravi, totam referre orationem debemus, utendum erit singulorum verborum insignibus, quae habent plurimum suavitatis, et quae aptiora sunt pompae, quam pugnae. Sententiis quoque magnificis atque illustribus haec viget eloquentia; et in ipsa verborum constructione, ut paria paribus, ut Tullius ait, similia similibus saepe referantur: ut geminata, ut circumscripta numerose, non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quasi verborum modo deposcit.

Quod si quaeramus, cur tantis pene dicam illecebris Demonstrativa oratio ad delectandum contendat, ut praeclare sentit Aristoteles, affirmabimus non

alia de causa delectationem appetendam, nisi ut honestatis amor, vitiique odium in hominum mentes blandius irrepat et sese insinuet: finis enim demonstrativi generis, ut antea dictum, est honestas. Praecipue inter Ciceronis orationes optima hujusce generis demonstrativi exempla sumere possumus, quarum lectione, ita vivam, meliorem frugem, quam ex multis praeceptis percipere possumus. Sive enim pro Lege Manilia Tullium dicentem audias, sive pro Archia poeta, sive pro Marcello, sive illas gratiarum actiones, vel post reditum ad Senatum, vel ad Quirites, splendidissimum laudandi modum edisces; vituperandi autem habebis in Verrinis, in Philippicis in Antonium, et in orationibus contra Lucium Pisonem et contra Vatinium.

Ad genus Demonstrativum pertinere nonnullas orationum species initio diximus; de quibus nunc breviter nobis disserendum.

## §. I.

### *De Oratione Panegyrica.*

*Quaenam est, et quid sibi vult panegyrica oratio?*

R. Panegyrica oratio apud Graecos olim illa fuit, quae in solemni totius Graeciae conventu vel in Olympicis, vel in aliis ludis habebatur in alicujus Numinis laudem. His etiam orationibus vel principes, vel magistratus qui certaminibus praeerant, vel victores ipsi laudabantur. Apud Romanos panegyricae orationes tardius invectae, habebantur in Senatu in Principum civium laudes; posteaque in Imperatorum habitae sunt, ut videre licet ex illis, quae etiam

nunc extant. Apud nos panegyricae dicuntur orationes illae, quibus vel Principis, vel verius Dei Optimi Maximi benignitatem, potentiam, gloriamque, vel Sanctorum acta et vitam ac portenta merito prosequimur praeconio.

In his tria praesertim observanda affirmarim. 1. Ne fuci ementitum colorem veritati inducere audeamus: hoc enim erit non splendorem afferre, sed vim ac dignitatem auferre. Nam veritas pulchritudine sua hominum animos aucupatur, et nimias artis exaggerationes ornamentaque fastidit. 2. Ne omnia quaeque exponamus, sed ratione rerum habita, levioribus posthabitis, majora sectemur. 3. Denique diligenter cavendum erit, ne communes pervagatasque, sed cuique proprias laudes tribuamus: quod consequi facile nobis erit, si quae sunt propria illius de quo agimus, nobis lecta potenter sint, planeque perspecta.

## §. II.

### *De Laudatione Funebri.*

*Quaenam est, et quid sibi vult oratio funebris?*

R. Oratio funebris ea est, quae vel in ipso funeris die, vel in anniversario habetur in laudem defuncti. Auctor apud Graecos Solon habitus est; scimus et Periclem laudasse Athenienses, qui in bello pro patria ceciderant. Hunc ceperunt Romani morem, et Brutum collegam in pugna contra Tarquinios caesum, honestatum elogio fuisse a Valerio Publicola accepimus, tanto totius Romanae gentis plausu, ut postea morem illum propagaret in posteris.

In his laudationibus itaque tria sunt oratori apprime praestanda: 1. ut verae virtuti merita persolvens, auditorum animos exemplis inflammet, flebilique quadam perfundat dulcedine: 2. ut res a mortuo viro gestas veluti in unam perstringat, ut melius exponere potentiusque in audientium animis, pene dicam, inurere possit: 3. ut suavi ornatoque stylo illustret atque exaggeret, in exponendo simplex, in descriptionibus efficax, in commovendo ardens. Luculentum sane funebris eloquentiae exemplum Tullius in nona ac decima quarta Philippicarum nobis suppeditat, ut cuique facile videre licebit.

Denique observandum erit hoc a patribus nostris institutum fuisse, ut sua merces virtuti praebeatur, solatium cives capiant, atque optimis imbuantur exemplis.

## §. III.

### *De Genethliaco, et Epithalamio.*

*Dic age de oratione Genethliaca et de Epithalamio.*

R. Oratio Genethliaca illa est, qua alicujus natalis dies concelebratur. Gestientem quamdam laetitiam exprimat oportet, gratuletur, gaudeat. Laudet genus majorumque res gestas, et cum pueri facta desint, facienda collaudet: laeta faustaque omnia de puero sperare jubeat; vota precesque effundat, ut omnia feliciter in patriae decus, in civium ornamentum commodumque succedant.

Epithalamium est oratio, qua principum nuptiae celebrantur. Haec quoque laetitiam, spem, votaque exprimit. Recentiores vel raro, vel nunquam his apud nos utuntur orationibus.

## §. IV.

### *De Eucharistica Oratione et Epinicio.*

*Velim nunc dicas de oratione Eucharistica et de Epinicio.*

R. Eucharistica dicitur oratio, qua ob aliquid acceptum insigne beneficium, vel Deo Optimo Maximo, vel Superis, vel Principi, vel civibus publice gratias agimus. Quare inter Eucharisticas hujusmodi orationes enumerare possumus illas Tullii post reditum in Senatu, et ad Populum. Legentibus facile patebit, quae sint in hoc laudandi genere observanda; nobis affirmasse sat erit 1. significandam laetitiam ob acceptum beneficium: 2. accepti beneficii magnitudinem amplificandam: 3. gratiam beneficii aeternamque memoriam pollicendam.

Epinicium gratulationis oratio est ob reportatam victoriam, a Graeca voce Victoria. Hac oratione saepius nos uti solemus, quum iis qui lauream studiorum adepti sunt gratulamur, vel cum ephebis, qui praemio in litterariis certaminibus publice dignati sunt: haec enim quaedam victoria est. Hoc orationis genus laetitiam et gratulationem continet. Gratulamur itaque primum ob inde tam sive armorum, sive studiorum felicitatem, quam arte quadam exaggeramus, ne cuilibet victoris meritum lateat, posteaque bonis ominibus victoriam prosequimur, ut et victori et civitati totique reipublicae benevertat.

Sed de Demonstrativo genere satis superque dictum puto; nunc venio ad Deliberativum.

## CAPUT III.

### DE GENERE DELIBERATIVO.

*Quodnam est genus deliberativum?*

R. Deliberativum genus, ut ait Cicero, habet in se suasionem et dissuasionem. Ejus finis, ut supra diximus, utilitas est: sed cum ad utilitatem omnia in consilio dando referenda esse doceamus de illa intelligi volumus, quae ab honestate oritur: nulla enim utilitas est moratis et bene institutis civibus, quae cum honestate non conjungatur. Sunt qui honestatem simul et utilitatem tribuant. At si quid ex his unum sequi oporteret, potior fuisset apud nos Ciceronis sententia, qui totum hoc materiae genus dignitate contineri putat.

*Quibus constat officiis oratio deliberativa?*

R. Oratio deliberativa duobus constat officiis, suasione, et dissuasione. Primum suasori aut dissuasori videndum est, quid aut fieri possit, aut non, et quid necesse sit, aut non necesse: tollitur enim omnis deliberatio, si intelligatur quidquam effici non posse, quamvis utile sit; vel si quid necesse omnino sit; nullum enim consilium locum habet ubi necessitas est, non magis quam ubi constat, quid omnino fieri non posse.

Cum autem quaeritur quid fieri possit, videndum erit etiam quam facile possit: nam quae perdifficilia sunt, perinde habenda sunt saepe ac si effici non possint: quodque permagni interest, saepe pro necessario habetur. Simplex vero suasori proponitur ratio: si et utile est, et fieri potest: dissuasori duplex,

una si non utile est, ne fiat, altera si fieri non potest, ne suscipiatur. Sic suasori docendum est; dissuasori docendum et informandum.

*Quaenam sunt apprime spectanda in suadendo et dissuadendo?*

R. In suadendo et dissuadendo tria primum spectanda erunt: 1 quid sit de quo deliberatur: 2 qui sint qui deliberant: 3 qui sit qui suadeat vel dissuadeat.

Res de qua deliberatur, vel fieri certo potest, vel an fieri possit ambigitur. Si an effici possit ambigatur et incertum erit, hoc in quaestionem potissimum incidet: si vero effici possit, videndum an sit honesta, an utilis, an facilis. Nam quae perdifficilia sunt, ut diximus, perinde habenda ac si effici non possint. De faciendo autem quidquid est in auditorum facultatibus, est deliberandum. Quaerunt nonnulli num orator fas, justum, pium, aequum esse quidquid proponit, ostendere debeat: sed haec mihi videntur omnia ad honestatem pertinere.

In his autem qui deliberant inspiciendum est; caput enim artis est nosse penitus eorum animos, ingenia, mores, ut facilius voluntatem flectere possimus. Quare primum oratori videndum, an sibi res sit cum principibus viris, cum divitibus, an cum populo, et meminisse nobiliores gloriae et summorum honorum studiosos esse, ignobilium aspernatores; ut enim ait Sallustius, iis contemptor animus inest, et superbia, commune nobilitatis malum. Non obliviscendum, divites qui nuperrime opes et honores sint assecuti, insolentiores esse, et qui in re sua, ut ait Tullius, fuissent egentissimi, insolentes esse in aliena: populum denique, sive plebem belluam multorum capitum, ut optime Tacitus

monet, pluma et vento mobiliorem esse; magis opinione, quam veritate duci, ire quo itur, non quo eundum, privatis commodis servire, potius quam publicae vel honestati, vel cupiditati. Varias etiam hominum aetates dignoscendas esse dicemus; nam multum interest, qui deliberare debent, juvenes, an viri, an senes sint, omnis enim aetas propriis affectibus exagitatur. Scimus juvenum animos gloriae illecebris, adultorum honoribus et dignitatibus, seniorum pecuniae omniumque vitae commodorum spe maxime trahi. Variarum gentium quoque et conditionum mores observandi: nam, ut ait Horatius,

*Intererit multum Davusne loquatur, an herus . . .*
*Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis:*

ut orator ad propriam cujusque gentis naturam flectere, ac sese versare facile possit.

*Num aliud spectandum erit in suadendo vel in dissuadendo?*

R. Spectandae denique erunt civitatum aut rerum publicarum formae: quod enim monarchiae convenit, neque aristocratiae, neque democratiae decet. Apud homines bene institutos, inquit Tullius, plurimum de laude et de honestate dicemus; maximeque ea virtutum genera tractabimus, quae in communi hominum utilitate tuenda augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum praeferantur: addantur etiam contumeliae atque ignominiae. Nemo enim est tam agrestis, quem non, si ipsa minus honestas, contumelia tamen et dedecus magnopere moveat.

*Quid dicendum est de persona suasoris sive dissuasoris?*

R. Refert maxime, quae sit persona suasoris, vel dissuasoris; nam suadere, aut aliquid dissuadere gravissimae est personae. Valet enim in consiliis auctoritas plurimum: et prudentissimus esse haberique optimus is debet, qui sententiae suae de utilibus atque honestis credere omnis velit. Si itaque suadentis anteacta vita fuit illustris, aut clarius genus, aut aetas, aut fortuna, plurimum de se affert expectationis, praesertim si ea quae dicuntur ab eo qui dicit minime dissentiant. Tria vero in illo qui suadet vel dissuadet sunt apprime expostulanda, nempe ut vir prudens, probus acceptusque auditoribus sit. Prudentia efficit, ut illi fidem statim adhibeamus, quem plus, quam nos, intelligere ac videre arbitramur. Probitas efficit, ut ejus consiliis facile acquiescamus; nam ex bonitate sua fidem faciet. Si enim probitatis fama careret advocatus, id malae causae videretur argumentum. Sit denique acceptus: acceptissimus vero is orator erit, qui causas justas et honestas auditoribusque probatas semper suscipere consuevit, et fiduciam quamdam praeseferat; fiduciam vero praesefert orator, si semper ita dicat, tamquam de causa optime sentiat. Nam hoc modo tantum in oratione auctoritatis inducit, ut probationis locum obtineat, dubitare nobis non audentibus. Hoc itaque facile eveniet, si orator opinione omnium talis erit, qualis vere sapiens appellari possit, nec moribus modo perfectus, sed etiam scientia et facultate dicendi.

*Quaenam regulae sunt oratori in suadendo vel dissuadendo observandae?*

R. Sunt diligenter quaedam in suadendo, vel dissuadendo nobis observanda; 1. ne in nimiam vel

assentationis vel artis suspicionem incidamus, ita ut non accurate, sed callide dicere videamur: 2. ne argumentis infirmioribus vel incompositis utamur. Sciendum erit etiam apud multitudinem maximi ponderis esse praecipue illa argumenta, quae ex religione decurrunt: apud doctos quae a philosophia vel ab historiis praeteritorum temporum manant; exemplis enim facile mentes hominum delectantur atque capiuntur. Itaque Tullius, cum de suasore vel dissuasore disserit « uterque, ait, ( sive suasor, sive dissuasor ) ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quo notiora sint, aut veterum, quo plus auctoritatis habeant copiam; maximeque sit in hoc genere meditatus, ut possit vel utilia ac necessaria saepe honestis, vel haec illis anteferre. » Ad commovendos autem animos maxime proficient, si incitandi erunt, hujusmodi sententiae, quae ad explendas cupiditates, aut otium satiandum, aut ad ulciscendas injurias pertinebunt. Sin autem reprimendi; de incerto statu fortunae, dubiisque eventis rerum futurarum, et retinendis suis fortunis, si erunt secundae; sin autem adversae, de periculo commonendi. Atque hi quidem sunt perorationis loci. Principia autem in sententiis dicendis brevia esse debebunt; non enim supplex, ut ad judicem, venit orator; sed hortator atque auctor. Quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debet, hortarique ad se breviter dicentem audiendum. Tota autem oratio simplex, gravis, et sententiis ornatior debet esse, quam verbis.

*Quaenam sunt exquisitiores Ciceronis in hoc genere deliberativo orationes ?*

R. Orationes Ciceronis in hoc genere sunt pro Lege Manilia, in qua suadet Populo Romano, contra

Mitridatem Pompejum esse deligendum, postea quam de genere belli, deinde de magnitudine dixit: de Lege Agraria tres, in quibus dissuadet legem agrariam, a Publio Servilio Rullo propositam, multaeque aliae, de quibus nobis haud loquendum est, cum unicuique facile sit eas invenire.

Et hic finis esset de his, quae ad deliberativum genus attinent: sed cum saepe animadvertissem omnes eloquentiae sacrae species in hoc genere contineri; christianus enim orator aut suadet aut dissuadet, aut hortatur, aut docet, quod est generis deliberativi praecipuum munus, praetium operis nonnulla de sacra Christianorum oratoria re hic dicere videbatur: de qua tamen alio loco nonnulla trademus. Nunc haec attigisse primioribus labiis satis sit. Cum institutioni oratoriae finem imposuero ad exitum libri hujus nonnulla de sacra Christianorum eloquentia brevi sermone perstringam.

## CAPUT IV.

### DE GENERE JUDICIALI SIVE FORENSI

*Quodnam est genus Judiciale ?*

R. Genus Judiciale quod nomen a judiciis habet, et a foro vocatur etiam forense, est quod positum in judicio habet in se accusationem et defensionem, aut petitionem et recusationem. Finis est ut convincamus, idest argumentis rem de qua agitur monstremus. In quo differt a genere deliberativo, cujus est finis suasio: non enim voluntatem judicum flectere affectibus, sed mentem argumentis convincere debemus. Apud veteres suadere, apud nos convincere hujus generis est.

*Quare apud veteres suadere apud nos convincere est generis judicialis ?*

R. Quod apud veteres in suasione judicum erant omnia reposita: nunc autem judici nihil aliud remanet nisi justa legis applicatio. Non enim certae leges, non codices erant apud veteres: sed conscientiis judicum saepe judicia pendebant. Adde innumeros judices, et populum etiam judiciis praefuisse, in quibus miseratio satis valebat, cum in sua manu aut absolutionem aut damnationem haberent, legibus quibusdam etiam obstantibus. Sed apud nos lex ipsa judiciis praeest, et si vera accusatio, certa poena est, quam judex ipse declinare non potest. Quare oratoris, sive advocati est rem comprobare argumentis, ut judex non arbitrio suo, sed juxta legem absolvat, vel condemnet. Eloquentiam itaque forensem haud longe a didascalica abesse censemus, cum id muneris sibi tantum assumat orator, ut causam vere probeque judicem doceat, ut re perpensa sententiam ferat. Quamobrem nec Demosthenem nec Ciceronem veteresque alios in omni parte imitandos affirmabimus.

*Quae sunt in Cicerone, caeterisque imitanda, quae omittenda ab oratore in genere judiciali ?*

R. Multa imitanda, multaque rejicienda. Imitabimur certe rationem qua Cicero sibi aditum aperit ad rem de qua agitur, artemque illam qua animos judicum sibi conciliat; imitabimur lucidum ordinem quo rem exponit atque declarat: narrationem, sive rerum explicationem, in qua sedes ac fundamentum inest rei constituendae: expositionem argumentorum denique, illudque artificium quo vim quamdam ac evidentiam iis addit: at rejiciemus sane amplificationes il-

las sive verborum, sive rerum quibus res exornat et exaggerat; nimias declamationes, et ad inflammandos animos crebros conatus, apud nos futuros inanes. Si enim res probata est, sive annuente sive renuente judice salutarem sententiam, si non probata, damnatoriam omnino referemus. Ad misericordiam aliquando permovere licet, sed magis factis quam arte: quidquid enim artis adhibebimus obstat, non adjuvat.

*Quaenam sunt oratoris partes in genere judiciali?*

R. Duo. Vel accusatio vel defensio. Si enim actoris partes agimus accusationem, si defensoris defensionem in judiciis quaerimus.

*Quaenam sunt in judiciis quaestionum genera?*

R. Tria: aut de facto, aut de nomine, aut de jure quaeritur. De *facto*, cum quaeratur an res quae in judicium allata est revera acciderit. Ex. gr. *An Roscius Patrem occiderit nec ne.* Et haec quaestio vel status conjectura vocatur. De *nomine* cum de facto constet, et disceptatur num id sit quod accusator criminatur. Ex. gr. *Cum Cicero Pompeji partes Ligarium sequutum esse fateatur, Ligarium et Pompejanos omnes a scelere defendit.* Haec status definitio appellatur. De *jure* cum neque de facto, neque de nomine ambigatur, quaeri potest an jure vel injuria factum sit. Ex. gr. *Cum Tullius Milonem caedis Clodianae reum fuisse haud neget, jure Milonem fecisse affirmat in sui capitis defensionem:* quem statum alii qualitatem, alii aequitatem dicunt.

*Quaenam sunt accusatoris partes?*

R. Accusator id efficere debet ut factum, nomen, et jus in reo pateat: sed tamen animo providebit quam potissimum partem reus sit defensurus, ut eam

prae caeteris evincat. Itaque rerum ordinem prosequetur, et singula argumenta, quasi hasta in manu collocata vehementer proponet: acriter concludat tabulis, testimoniis, decretis, legibus, edictis confirmet, atque in singulis apte moretur; exemplis declaret, adversis contendat. Denique omnia breviter contrahat, paucisque concludat ita, ut mentem et animum judicis acri quadam oratione, et argumentorum pondere compellat et urgeat.

*Quomodo rem de qua in judicio acturi sumus, tenebimus?*

R. Diligentia, labore, atque studio ut rem teneamus utendum est. Neque enim satis est rem congnoscere sed penitus introspicere opus erit, nullis circumstantibus praetermissis. Saepe enim accidit ut quae inania primo obtutu videntur, utilia postea sint. Quantum diligentiae, studiique in his Tullius conferret, ipse docet in libro secundo de Oratore, cujus verba hic afferre libet. « *Equidem,* ait ille, *soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, et ne quis alius adsit quo liberius loquatur; et agere adversarii causam, ut ille agat suam, et quidquid de sua re cogitarit in medium proferat. Itaque cum ille discessit, tres personas unus sustineo summa animi aequitate, meam, adversarii, et judicis. Nonnulli dum operam suam multam existimari volunt, ut toto foro volitare, ut a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. In quo est illa quidem magna offensio vel negligentiae susceptis rebus, vel perfidiae receptis, sed etiam illa major opinione, quod nemo potest de ea re quam non novit non turpissime dicere.* » Et Fabius « *Non tam obest audire supervacua, quam ignorare necessaria; frequenter enim et vulnus et reme-*

*dium in his orator inveniet, quae litiganti in neutram partem habere momentum videbantur.* »

*Quaenam sunt defensoris partes?*

R. Uti accusator praestare debet ut factum, nomen, jus in reo pateat, ita defensor contendere debet ut ex tribus illis veluti gradibus unum aliquem capiat ad resistendum, si plures non queat. Itaque 1. optima erit defensio si factum negari possit, vel omnino, vel ex parte tantum. Ex. gr. *Ais Milonem occidisse Clodium? Nego. Servi, ut domini vitam ab insidiis eriperent, interfecerunt.*

2. Secunda bona erit defensio, si cum factum negare nequeas, nomen criminis neges id esse quod actor affirmat, et immutato nomine, crimen vel tollas, vel minuas. Ex. gr. *Ais Ligarium stetisse contra Caesarem in acie Pharsalica? Non sponte stetit, sed necessitate coactus, Tuberone reditum impediente.* Quod ergo necessario evenit omni culpa caret.

3. Tertio cum factum quod objicitur honestum esse affirmamus et bono jure tuemur. Ex. gr. *Ais Milonem occidisse hominem? Nego: latronem interfecit, et bono jure defendendi sui causa interfecit.*

Si vero et factum et nomen et jus defensor negare nequit, ad alia confugiet: superant enim tres aliae defensionis rationes: nempe *translatio, excusatio, deprecatio.*

*Quid est translatio?*

R. Translatio ea est, qua rei causam in alium transferemus. Transferri autem potest vel in homine vel in re. Ex. gr. *Centurionem a pugna abfuisse si arguant, defensor causam in tribuno transferre poterit.* Illius enim jussu abfuisse ostendet. Hoc erit ab homine in hominem causam transferre. In rem autem

hoc modo transferemus. Ex. gr. *Si qui arguatur non fecisse id quod testamento facere jussus erat; poterit se defendere affirmans per legem id fieri non potuisse.*

*Quid est excusatio?*

R. Ea proprie vocatur excusatio, qua rem malam voluntarie et sponte fecisse negamus. Non voluntarie vero tribus de causis agere possumus: sive ignoratione, sive vi, sive repentino animi violentoque motu. Si quis insimulet hominem poculum veneno infecisse, defendes ignoratione veneni id fecisse: vel si hominem interfecisse coargues, factum aliena vi, vel violento repentinoque animi motu defendes. Fatendum tamen est excusationem semper cum deprecatione conjungi.

*Quid est deprecatio?*

R. Est quaedam obsecratio defensioni admixta, qua ad clementiam judicis confugimus, ut facilius ad ignoscendum impellamus. Post enim, vel inter defensionem preces subjicere aliquando fas erit. » *Deprecatio quae est sine ulla defensionis specie* ( ait Fabius ) *rara admodum, et apud eos solos judices, qui nulla certa pronunciandi formula tenentur, locum habet.* » Haec dubiis in causis saepe praevaluit, cum enim defensor omni conatu factum negaverit, tamen etiamsi reus id fecisset, illi ignoscendum esse contendit.

*Quibus modis utendum est deprecatione?*

R. Primum si minus excusare saltem minuere crimen studebimus, posteaque omnia ad judicis misericordiam referemus. Plurimum ponderis deprecationi accedet, si hominis vitae innocentiam ostendamus: si de suis civibus deque republica benemeritum: si in posterum vitam probe acturum: si praesenti periculo

ad poenitentiam adductum affirmare possimus. His enim omnibus quoddammodo legum et judicum severitatem lenire posse videmur.

*Quonam orationis genere uti debet orator forensis?*

R. Cum diximus nil magis forensi oratori praestandum esse quam convincere, satis aperuimus quonam orationis genere uti debeat. Ad convincendum enim temperatus sermo apprime valet, ut intellectum auditoris rem doceat, argumentisque confirmatam ostendat. Potest aliquando assurgere, potest etiam modestis veneribus orationem exornare; quae quidem magis sermo quam oratio vocanda est. Nolim tamen nimia ariditate frigescere et extenuari: sed quamdam semper dignitatem, et robur praeseferre, illumque caloris gradum qui ex conscientia oratoris oriri debet. Nemo enim, nisi sit socors et imperitus, si causam sibi aequam esse cognoscat, frigide aget. Conscientia boni juris addit etiam timidis animum et robur. Simplicem stylum, haud venustate et elegantia carentem, nullis pigmentis et lenociniis, sed summa perspicuitate praecipio, qui tamen aliquando et assurgere et inflammari apte possit.

*Quid in eloquentia forensi vitandum est in primis?*

R. Nimiam illam loquacitatem, qua auditorum mentes frustra defatigari solent, et onerari. Sunt qui nimis copiose dicere studeant, et cum inania multa disseruerint, se optime dixisse putent. Sed turpiter errant: non enim judex, non auditor inanibus verbis gaudet; sed male afficitur et languescit: ac veluti spe dejecti causam actoremque fastidiunt.

*Quaenam praecipue ab oratore forensi curanda sunt?*

R. Duo praesertim; quae perspicuitate et delectu continentur, ac judicialis eloquentiae paene propria

sunt. Primum ut statum controversiae ita definiat ut facile audientes rem concipiant, nullaque dubitatione arripiant, primoque veluti obtutu videant in quo controversia est; quid actor vel quid defensor postulet. Secundo ita partes omnes orationis collocet, eoque disponat ordine ut singulae proprium teneant locum, primaeque sint caeterarum fundamentum et lumen. Sit et in narrando concisa brevitas, et in probando non inanis copia. Brevitatem quamdam narratio poscit: nam facile obstat quidquid non adjuvat: et quamdam copiam argumentorum expositio: difficile enim est argumentorum vim nimia brevitate concipere, eo quod, ut ait Horatius, brevitatem saepe obscuritas consequitur. Tantum ergo copiae opus erit quantum ut perspicua oratio procedat, et ab omnibus vel invitis intelligatur.

*Potestne causae actor vel defensor risum excitare?*

R. Potest sane, sed tamen periculosae res est plena aleae:

. . . . . . . . . . . . . *Ridiculum acri*
*Fortius et melius magnas plerumque secat res*,

inquit Horatius in libro I. Sat. X.

Risum tristes affectus solvere, et animum ab intentione rerum frequenter avertere, aliquando etiam animos reficere, et a fatigatione, satietateque recreare monet Fabius. Sed cavendum est ne dum risum movere cupimus, scurriliter vel obscene agere videamur. Non enim insulsa et inficeta vel turpia, quibus vulgares animi ad risum excitantur bene moratis aeque placent: immo saepius dicacitatem est probi hominis fastidire.

Quare orator sive personam actoris, sive defensoris sustineat, hoc fixum in animo habeat nihil sibi lice-

re quod ab urbanitate et quadam dignitate abhorreat. «*Urbanitas autem illa est*, ait Fabius, *in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum, neque sensu, neque verbis, neque ore gestuque possit deprehendi.*»

*Velim exemplis doceas qua ratione risum excitare possit orator.*

R. En nonnulla veterum exempla.

Cum aliquando argenteam magni pretii sphyngem a Verre accepisset Hortensius non ita multo post, in ipsa judicii altercatione, nescio quid obliquum in illum obscure jactavit Cicero. Negavit Hortensius se haec enigmata intelligere.

Atqui intelligere debes, *inquit Cicero*, cum Sphyngem habeas domi.

Idem Tullius Roscii accusatorem Erucium hac ironia bellissime perstringit:

Quaeso, Eruci, ut hoc in bonam partem accipias: non enim exprobandi causa, sed admonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit ut patre certo nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset: at natura certe dedit ut humanitatis non parum haberes.

In Fannium vero sic jocatur Orator pro Q. Roscio.

Qui idcirco capite et superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere videatur.

Nec minus salsum et facetum illud ejusdem in Catilinarios.

Verumtamen quid sibi isti miseri volunt? Num suas secum mulierculas sunt in castra ducturi? Quemadmodum autem illis carere poterunt, his praesertim jam noctibus? Quo autem pacto illi Appenninum, atque illas pruinas ac nives perferent? Nisi idcirco se facilius hie-

mem toleraturos putant quod in conviviis nudi saltare didicerunt.

Longe amarior jocus et cavillatio in feroculum quemdam adolescentem, qui patri venenum in placenta dedisse insimulatus, jactabat sese audacius, et Ciceronem contumeliis et maledictis proscindebat; cui Cicero:

Hoc, *inquit*, a te malo quam placentam.

Denique Vatinium causas agentem in foro, strumisque in collo laborantem, tumidum oratorem non inficete appellavit. Nec omittendum quod refert idem Tullius de Oratore illo, qui contemptim interrogatus a quodam furtim insimulato *quid latraret*? respondit,

Se furem videre.

Quantum vero suos illos sales jocosque cordi habuerit Tullius intelligere possumus ex illius epistola 32. lib. 7. ad Familiares. Cum enim audisset inurbanos quosdam sales dictaque parum elegantia sibi adscribi, suoque sub nomine in provincia spargi, scripsit ad Volumnium, et cum illo amice sic expostulavit. « *Parum diligenter possessio salinarum mearum a te procuratore defenditur.* » Ubi *salinarum* nomine nihil aliud intelligi a Tullio nisi dicta salis urbanitate sparsa nemo non videt.

Quin et ipse Demosthenes tametsi salibus et urbanitate Ciceroni longe inferior esset, et grandis severusque orator, magis quam venustus festivusque vulgo videatur; jocis tamen et cavillationibus interdum satis liberaliter indulsit, cujusmodi sunt haec duo exempla singularia. Cum Demostheni objecisset Aeschines, quod inter dicendum manum contineret in sinu; hoc venustissimo ejus sermonem excepit scommate:

Non dedecet, *inquit*, manum in sinu habentem concionari, sed dedecet manum in sinu habentem legationem obire.

Auro enim corrumpi se passus erat Aeschines in legatione sua ad Philippum Macedoniae regem.
Nec minus scite cum quidam Pitheas, qui ob furti suspicionem male audiebat, exprobasset quod ejus oratio oleum ac lucernam redoleret:

Scio, *inquit Demosthenes*, tibi molestos esse qui nocte lucernam accendunt?

Denique in jocis utile admodum erit illud Gorgiae consilium, ut seria adversarii dicta jocularibus, et jocularia seriis refellamus. In seriis tamen nonnisi maximo cum judicio jocis indulgendum.

*Num causas omnes orator dicere potest?*

R. Minime: multae enim sunt causae a quibus abstinere consulto debet orator: nempe ab illis quae vel injustae vel invidiosae aperte sunt. Turpe est vel vocem in questum conferre, vel pejora patrocinari: nec ex his bonos fructus sperare licet, nec victoriam, nec famam. Judex iniquo animo audit hujusmodi advocationem, nec fidem dictis adhibet: homines etiam patronum despiciunt, ejusque gratia omnino et auctoritas excidit. Quare jure bono, inquit Fabius » *plurimum ad omnia momenti in hoc positum, si vir bonus* (orator) *creditur: sic enim contingit, ut non studium advocati videatur afferre, sed pene testis fidem.* »

## CAPUT V.

### DE DISPOSITIONE

### SIVE DE PARTIBUS ORATORIAE ORATIONIS

*Quid est dispositio?*

R. Ut a Cicerone definitur rerum in ordinem inventarum distributio est. Neque enim, subjicit Fabius, fusis omnibus membris statua fit, nisi collocentur: et si quam in corporibus nostris aliorumque animalium partem permutes, atque transferas, licet habeat eadem omnia, prodigium sit tamen, et artus etiam leviter loco moti perdunt, quo viguerunt usum: ita nisi orationis partes in ordinem distributae suum teneant locum, tota concidat, et tumultuetur necesse est, et veluti sine rectore navis fluitet, nec cohaereat sibi. Et quoniam demonstratum est, quibus causarum generibus omnis eloquentia contineatur, et quas causas oratorem recipere, quasque res habere conveniat, nunc quibus oratio partibus constet, et quo ordine distribuendae sint exponamus: qui locus a Rhetoribus de Dispositione appellatur.

*Num ab arte dispositio orta est?*

R. Initium dicendi natura, initium artis observatio dedit. Omnes homines enim imperiti incultique, veluti natura docente, ita sermonem distribuunt, ut initium quoddam ad animos captandos habeat, deinique expositionem, confirmationem, perorationem. Si rudis crassique ingenii homuncio aliquid a te impetrare velit, quamvis Rhetorum volumina nunquam cognoverit, tamen benevolentiam tuam captabit initio, posteaque petitionem exponet, petitionis causam

et honestatem declarabit, denique vel precibus perorabit, vel blando quodam sermone animum impellet, ut postulata concedas; et si quid apponas, facile refutabit. Ars naturam arripuit, voluitque orationem hisce partibus ( nonnullis additis ) distribui, certasque leges tradidit a quibus nefas est declinare.

*Quisnam est ordo servandus in orationis oratoriae dispositione; seu quaenam sunt oratoriae orationis partes?*

R. Distributio in sex orationis partes versatur, nempe 1. in exordium, 2. propositionem ( quae etiam interdum dividi solet, unde partitio oritur ) 3. narrationem, 4. confirmationem, 5. confutationem, 6. perorationem, sive conclusionem. Exordium est principium orationis, per quod animus auditoris constituitur ad audiendum: Propositio ea pars est per quam exponimus quid in controversia sit, et quibus de rebus simus acturi. Quae si nimis late pateat, ut commodius auditor intelligere possit, in partes dividimus: quare jure ait Fabius *partitio est nostrarum, aut adversarii propositionum, aut utrarumque ordine collocata numeratio*: Narratio est rerum gestarum, aut perinde ut gestarum, expositio: Confirmatio est nostrorum argumentorum cum asseveratione tractatio: Confutatio est contrariorum locorum dissolutio; Peroratio denique, sive conclusio est artificiosus orationis terminus: in hac enim parte orator id quod tota expetivit oratione majori vehementia evincere, atque obtinere contendit, ut Fabius docet. Hae partes omnes in hoc uno pervagatissimo cujusdam versiculo, memoriae gratia, indicantur = *Exorsus, seco, narro, firmo, refello, peroro* = in quo partitio, ut nonnullis placuit, propositionis locum obtinet.

*An hae partes omnes in unaquaque oratione locum habere debent?*

R. Minime. Potest nullo exordio orator causam dicere, cum res vel omnibus nota, vel invisa sit, quod genus orationis efficit *ex abrupto*: non enim exordium ex abrupto, sed oratio esse potest, ut in posterum dicemus. Interdum vel propositio, vel narratio exordii locum tenet. Quandoquidem confirmatio confutationem excipit; et saepius conclusione vel epilogo, quam peroratione utimur. Quare orator perspiciat quibus uti partibus, quibus non, praestet: nam dummodo rem exponat de qua acturus est, confirmet, concludat, de caeteris nulla est necessitas.

*Anne haec quae diximus oratoriae tantum orationi conveniunt?*

R. Non oratoriae solum orationi, sed omnibus sermonis generibus sunt necessaria. Nemo enim apte loquetur nisi primo de quo locuturus est declaret, postea quidquid affirmat comprobet, et denique ad conclusionem confirmet. Oportet in omnibus teste Aristotele et principium et medium et finem inesse: qui aliter facere conetur, inficete et ridicule, ac quidem stulte faciet.

## CAPUT VI.

### DE EXORDIO ET DE VARIIS EXORDIORUM GENERIBUS

*Quid est Exordium?*

R. Exordium definitur a Tullio » *pars orationis auditorum animos idonee comparans ad reliquam dictionem.* » Unde quod in humano corpore caput

est, quod in aedibus vestibulum, hoc est exordium in oratione. Atque adeo praecipua quadam cura, diligentiaque, prae caeteris orationis partibus, est elaborandum, naturae ipsius instar, quae in fingendo atque ornando capite potissimum desudare consuevit. Unde etiam exordium *difficillima pars orationis* vocatur a Tullio. Exordii vox est metaphora à textoribus sumpta, qui proprie telam ordiri dicuntur, cum certa quadam lege fila collocant, et ordine componunt.

*Quotuplex est Exordium?*

R. Duplex: dividitur enim in duas partes *Principium et Insinuationem*. Principium est cum statim auditoris animum nobis idoneum reddimus ad audiendum. Graeci prooemium appellarunt, quo nomine illi satis clare ostendebant hanc esse partem ante ingressum rei de qua dicendum sit. Hoc utimur exordio, cum rem aperte exponimus, atque ad dicendum aggredimur nullo ambitu, nullaque dissimulatione. Insinuatio est artificiosa quaedam dissimulatio, et circuitio obscure subiens auditoris animum, ejusque captans sive benevolentiam, sive docilitatem, sive attentionem, sive sensim omnia. Principium autem duplex esse potest: nam cum leniter sedato quodam dicendi genere initium facimus, dicitur legitimum ac temperatum: quum vero orator, quodam quasi impetu abreptus, repentino et inopinato quodam motu audientes percellit, vehemens, et pugnax appellatur.

*Nonne Exordium etiam ex abrupto appellatur?*

R. Sunt qui appellant *ex abrupto*, sed quidem inepte; possumus enim orationem ex abrupto habere, non vero exordium; nam si oratio exordium habuerit omnino ex abrupto esse non potest. Insulse enim diceres si affirmares orationem prooemium simul ha-

bere et non habere, quod certe affirmant nonnulli cum docent exordium esse *ex abrupto*.

*De Exordio, quod ex abrupto appellant, velim apertius dicas.*

R. Neque a Tullio neque a Fabio verbum quidem ullum de hoc exordii genere habemus, quod aequivocatione quadam ortum in Rethorices libros irrepsisse putem. Abruptam esse posse orationem Aristoteles ipse docuit, et nemo inficiabitur. Licuit enim, semperque licebit nulla adhibita praefatione in causam ingredi, et ut ait Horatius, *auditorem in medias res rapere non secus ac notas*, hoc est, posthabito exordio controversiae tractationem illico assumere, quum orator quadam sive animi libertate, sive indignatione, et ira, sive denique vel laetitiae vel doloris motu abripitur. Sed hoc non erit exordium ex abrupto conficere, sed abrupta uti oratione. Quod genus arduum et difficile, ita vivam, esse puto, cum nulla animorum praeparatione, affectuum vi praestare debeat orator, ut auditores attente, benevole, ac dociliter audiant.

*Quandonam Exordio praetermisso abrupta oratione uti possumus?*

R. Exemplo Ciceronis, qui hoc orationis genere adortus est primo Catilinam, ( illa enim oratio plane caret exordio ) praecipere possumus tum hoc orationis genus laudandum cum non arte quaesitum, sed sponte ex animo erumpit: cum non factum scelusve probandum auditoribus proponimus, sed detestandum et reprehendendum: cum denique non auditorum animos flectere, et in nostram sententiam ducere volumus, sed invadere, occupare, aggredi, omnique virium affectuumque pondere exagitare. Ira-

cundia enim, et oratoris impetus facile auditores inflammabit si extrema primis respondeant, et ad finem augeantur. Quod praestare haud facile est, saepe enim producta longius oratio frigescit. Potest etiam, ut antea dictum est, hoc orationis genus dolore vel laetitia manare, et Tullius idem exemplum praebet in secunda oratione in Catilinam: quod quidem abruptum est sed non ita concitatum; exhibet enim non irati hominis iracundiam, at paene exultantis ac gestientis affectum. Sed de his satis diximus.

*Cedo exemplum aliquod Exordii illius quod principium appellavimus.*

R. En tibi Tullianum in oratione pro Aulo Licinio Archia.

Si quid est in me ingenii, judices, quod sentio quam sit exiguum: aut si qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter esse versatum; aut si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis, et disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor aetatis meae tempus abhorruisse: earum rerum omnium vel in primis hic Aulus Licinius fructum a me repetere prope suo jure debet. Nam quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis, et pueritiae memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, hunc video mihi principem, et ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem horum studiorum extitisse. Quod si haec vox hujus hortatu, praeceptisque conformata nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo caeteris opitulari, et alios servare possemus, huic profecto ipsi, quantum est situm in nobis, et opem, et salutem ferre debemus. Ac, ne quis a nobis hoc ita dici forte miretur, quod alia quaedam in hoc facultas sit ingenii, neque haec dicendi ratio, aut disciplina: nec nos quidem huic cuncti studio penitus unquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, et quasi cognatione quadam inter

se continentur. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur, me in quaestione legitima, et in judicio publico, cum res agatur apud Praetorem Populi R. lectissimum virum, et apud severissimos judices, tanto conventu hominum, ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine judiciorum, verum etiam a forensi sermone abhorreat: quaeso a vobis, ut in hac causa mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam, ut me, pro summo poeta, atque eruditissimo homine dicentem, hoc concursu hominum literatissimorum, hac vestra humanitate, hoc denique Praetore exercente judicium, patiamini de studiis humanitatis, ac literarum paulo loqui liberius, et in ejusmodi persona, quae propter otium ac studium minime in judiciis periculisque tractata est, uti prope novo quodam et inusitato genere dicendi. Quod si mihi a vobis tribui, concedique sentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis a numero civium, verum etiam, si non esset, putetis asciscendum fuisse.

*Cedo exemplum italicum.*

R. Habemus in oratione Reginaldi Poli Cardinalis ad Carolum Quintum de Pace.

Sacra Cesarea Maestà. Essendo piaciuto alla divina Provvidenza di mettere in animo alla Santità del Papa d'usar me per istrumento e ministro della sua santa volontà in procurar la pace fra Vostra Maestà, e il Re di Francia; ed avendole io esposto la mia commissione, ho da lei inteso quel che io già mi aveva promesso della pietà e generosità sua, cioè che benchè Essa si tenesse molto offesa dal Re, onde umanamente accrebbe cagione d'essere aliena dal pensare di pacificarsi con lui, nondimeno quando le fosse proposto tal partito, mediante il quale si potesse sperare una pace stabile e utile alla Cristianità, non si renderebbe mai difficile in accettarla, ma in tal caso mettendo in oblivione ogni offesa privata, riguarderebbe quello che più giovasse al ben

comune. Dalla qual risposta di V. M. io ho insieme compreso, e dove consista dal canto suo la difficoltà di fare la pace, e che secondo il debito dell' officio mio, io debba volgere tutto il pensiero, tutta l'opera, e l' industria mia in questo negozio. E pensando sopra ciò di quello che a V. M. piacque di discorrer meco d' intorno al difetto delle paci passate, dalle quali non solamente la Cristianità non aveva ricevuto frutto, ma patito maggior danno, come Ella diceva, ed in effetto si è veduto: e considerando in che essi difetti consistevano, acciocchè meglio si potesse trovare il modo di correggerli, e fare una pace, quale ricercano i bisogni pubblici, ho giudicato conveniente al debito, e al carico della persona che io tengo, non contentandomi averne presenzialmente ragionato con V. M. esplicarle anche più distintamente il senso mio intorno a ciò, per darle occasione di far più fermo giudizio di tutto quello che sarà detto, per venire alla desiderata conclusione che possa consolare lei, e tutta la Cristianità insieme, come io spero, che per la misericordia di Dio abbia a seguire, degnandosi V. M. in conformità del pio animo mostrato nella risposta che mi fece, porger quell' ajuto e indirizzo ch' Ella potrà a questo fine.

*Velim exemplum principii vehementioris.*

R. Vide orationis tertiae in Catilinam exordium vehemens: poteris addere illud orationis pro Ligario quod ironia quadam innititur. Ego enim brevitatis causa praetermitto, unius contentus.

Rempublicam, Quirites, vitamque omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges, liberosque vestros, atque hoc domicilium clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem, hodierno die, Deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consiliis, periculis meis, ex flamma atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam, et vobis conservatam ac restitutam videtis. Et, si non minus nobis jucundi, atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi quibus na-

scimur; quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio, et quod sine sensu nascimur, cum voluptate conservamur: profecto quoniam illum, qui hanc urbem condidit, ad Deos immortales benevolentia, famaque sustulimus; esse apud vos posterosque vestros in honore debebit dies is, qui eamdem hanc urbem conditam, amplificatamque servavit. Nam totius urbis templis, delubris, tectis omnibus ac moenibus subjectos prope jam ignes, circumdatosque restinximus; iidemque gladios in rempublicam districtos retudimus, mucronesque eorum a jugulis vestris rejecimus. Quae quoniam in Senatu illustrata, patefacta, comperta sunt per me; vobis jam exponam breviter, Quirites: ut et quanta et quam manifesta, et qua ratione investigata, et comprehensa sint, vos, et qui et ignoratis et expectatis, scire possitis.

*Affer hujusce generis Exordium italici Scriptoris.*

R. Segnerus noster ut cupiditatem coelestis gloriae in auditorum animos injiciat, ardens ipse et inflammatus, ita concionem de coelesti beatitate, ( idest de Paradiso ) exorditur.

Al cielo, al cielo, fedeli miei divotissimi, al cielo, al cielo. Evvi alcuno fra voi, il qual sia vago di ascendere a tanta gloria? Che più curarci di questa valle di pianto? Qui, dovunque ci rivolgiamo, non udiam altro che singhiozzi, che strida; non vediam altro che malvagità, che miserie. Si duole il ricco del povero, il povero del ricco, il servo del padrone, il padrone del servo; e niuno vive pienamente contento della sua sorte. È bella Rachele, verissimo; ma si affligge di non esser feconda siccome è Lia. È feconda Lia, ma si accuora di non essere bella com'è Rachele. Possiede Naaman copiose ricchezze; ma che gli vagliono, se schifosa lebbra il ricuopre? È potente Augusto, ma non ha successione; è temuto Tiberio, ma non ha amici. E neppur quel poco di bene che in terra godesi, si può possedere con pace. Insidiano alla potenza de' Principi i ribelli con le armi; alla quiete de' favoriti i cortigiani

con le persecuzioni; a' progressi de' letterati gli emoli co' contrasti; alla sicurezza de' ricchi i ladroni con le rapine; a' piaceri degli amanti i rivali con le discordie. Tutto è gelosie, tutto è risse, tutto è pericoli, tutto ansietà, tutto affanni. E noi ci curiamo di dimorare più lungamente in un luogo sì miserabile? Dicea già Seneca ( *Consol. ad Marc. c.* 22. ), che la natura con sottilissimo inganno facea nascere l' uomo privo di senno, perchè altrimenti niuno si contenterebbe di entrar nel mondo, se lo conoscesse prima di entrarvi: *Nihil tam fallax* (udite le sue parole), *nihil tam insidiosum, quam vita humana: non mehercule quisquam accepisset, nisi daretur insciis.* E noi abbiamo conosciuto già questo mondo, già l' abbiamo sperimentato, ed ancor tolleriamo di rimanervi? Eh! al cielo, al cielo, fedeli miei divotissimi, al cielo. Se non possiamo per ora andarvi col corpo, andiamovi con lo spirito; se non possiamo dimorarvi con la presenza, dimoriamovi col pensiero. Ma come faremo a poter poggiare tant' alto? Come faremo? Non dubitate. Prenderò, se bisogni, in prestito il carro, non da Medea, non da Trittolemo, no (che ho da far io con le favole de' Gentili?); prenderollo da Elia. Nè vi sgomenti, ch' egli sia carro di fuoco: *Currus equorum igneorum* ( 4. Reg. 21 ). È fuoco, il quale riluce, il quale riscalda, ma non offende: fuoco non per tanto vuole esser, perchè non ogni desiderio è bastevole a porne in cielo, ma quello solo ch' è fervido. Che sì, che s' io sollevandovi sulle nuvole, vi rappresento questa mattina non altro che il primo ingresso di un' anima nella gloria, non solo vi farò brillar di allegrezza, non solo vi farò esultare di giubilo, come Pietro, allor che dianzi ne mirò dal Taborre un piccol barlume, ma forse forse ve ne invoglierò di maniera, che vi farò gridare con Paolo: strappatemi queste catene, spezzatemi questi ceppi, ch'io più non posso: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ( ad Rom. 7. 24 ). Attendete, e vedrete quant' io promettami, non dalla forza del dire, ma dalla grandezza dell' argomento.

*Velim insinuationis exemplum proferas.*

R. Nil perfectius insinuatione ex qua Cicero exordium ducit in oratione secunda pro Lege Agraria in Rullum. Nil poterat esse populo romano odiosius, nil infestius Ciceronis sententia, qua legem Rulli dissuadere aggrediebatur, et populi plebisque commodis, oblataeque utilitati officere videbatur. Quamobrem orator ille maximus animos sibi conciliat, et dissimulatione quadam in causam irrepit. Perpendant attente tyrones exordium hoc, animumque saepe applicent, ut artem, ingeniumque oratoris cognoscant.

Est hoc in more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ii, qui beneficio vestro imagines familiae suae consecuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude conjungant; qua in oratione, nonnulli aliquando digni majorum loco reperiuntur: plerique autem hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum debitum esse videatur, unde etiam quod posteris solveretur, redundaret. Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis: sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt. De me autem ipso, vereor, ne arrogantis sit apud vos dicere; ingrati tacere. Nam et quibus studiis hanc dignitatem consecutus sim, memetipsum commemorare, perquam grave est; et silere de tantis vestris beneficiis nullo modo possum. Quare adhibebitur a me certa ratio, moderatioque dicendi, ut, quid a vobis acceperim, commemorem: quare dignus vestro summo honore, singularique judicio sim, ipse modice dicam, si necesse erit; vos eosdem existimaturos putem qui judicavistis. Me, perlongo intervallo prope memoriae, temporumque nostrorum, primum hominem novum, Consulem fecistis: et eum locum quem nobilitas praesidii firmatum, atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescivistis, virtutique in

posterum patere voluistis: neque me tantummodo Consulem, quod est ipsum per sese amplissimum, sed ita fecistis, quo modo pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus ante me nemo. Nam profecto, si recordari volueritis de novis hominibus, reperietis eos, qui sine repulsa consules facti sunt, diuturno labore atque aliqua occasione esse factos, cum multis annis post petissent, quam Praetores fuissent, aliquanto serius quam per aetatem ac per leges liceret: qui autem anno suo petierint, sine repulsa non esse factos: me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possumus, qui consulatum petierim, cum primum licitum sit; Consul factus sim cum primum petierim; ut vester honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienae petitionis occasionem interceptus, nec diuturnis precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur. Est illud amplissimum, quod paullo ante commemoravi, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primum me, multis posthabitis, affecistis: quod prima petitione: quod anno meo: sed tamen magnificentius, atque ornatius esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam vindicem tacitae libertatis, sed vocem vivam prae vobis, indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum, tulistis. Itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulae voces praeconum, sed una voce universus Populus R. Consulem declaravit. Hoc ego tam insigne, tam singulare vestrum beneficium, Quirites, cum ad animi mei fructum, atque laetitiam duco esse permagnum, tum ad curam, sollicitudinemque multo majus. Versantur enim, Quirites, in animo meo multae et graves cogitationes, quae mihi nullam partem neque diurnae neque nocturnae quietis impertiunt; primum tuendi consulatus: quae cum omnibus est difficilis et magna ratio, tum vero mihi praeter caeteros; cui errato nulla venia, recte facto exigua laus, et ab invitis expressa proponitur: non dubitanti fidele consilium, non laboranti certum subsidium nobilitatis os-

tenditur. Quod si solus in discrimen aliquod adducerer, ferrem, Quirites, animo aequiore; sed mihi videntur certi homines, si qua in re me non modo consilio, verum etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi. Mihi autem, Quirites, omnia potius perpetienda esse duco, quam non ita gerendum consulatum, ut in omnibus meis factis atque consiliis vestrum de me factum consiliumque laudetur. Accedit etiam ille mihi summus labor, ac difficillima ratio consulatus gerendi, quod non eadem, qua superioribus consulibus lege et conditione utendum esse decrevi: qui aditum hujus loci conspectumque vestrum partim magnopere fugerunt, partim non vehementer secuti sunt. Ego autem non solum hoc in loco dicam, ubi est id dictu facillimum, sed in ipso Senatu in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum esse consulem, prima mea illa oratione Kal. Jan. dixi. Neque enim ullo modo facere possum, cum me intelligam non hominum potentium studio, non excellentibus gratiis paucorum, sed universi Populi R. judicio consulem ita factum, ut nobilissimis hominibus longe praeponerer, et non in hoc magistratu, et in omni vita essem popularis. Sed mihi ad hujusce verbi vim, et interpretationem vehementer opus est vestra sapientia. Versatur enim magnus error propter insidiosas nonnullorum simulationes; qui cum populi non solum commoda, verum etiam salutem oppugnant, et impediunt, oratione assequi volunt, ut populares esse videantur. etc.

Insinuatione etiam Tullius exorditur Divinationem, qua sibi potius quam Caecilio Verris accusationem tribuendam esse contendit.

Si quis vestrum, Judices, aut eorum qui adsunt forte miratur, me qui tot annos in causis judiciisque publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc mutata voluntate , ad accusandum descendere; is si mei consilii causam, rationemque

cognoverit, una et id quod facio probabit, et in hac causa profecto neminem mihi praepouendum esse actorem putabit. Cum Quaestor in Sicilia fuissem, judices, itaque ex ea provincia discessissem, ut Siculis omnibus jucundam diuturnamque memoriam Quaesturae, nominisque mei relinquerem: factum est, uti cum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati, atque vexati, cuncti ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam, defensionemque susciperem: me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus ajebaut, non jam ut commoda sua, sed ut vitam, salutemque totius provinciae defenderem: sese jam ne Deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno Praetore per triennium pertulisse: rogare et orare, ne illos supplices aspernarer, quos, me incolumi, nemini supplices esse oporteret. Tuli graviter, et acerbe, Judices, in eum me locum adductum, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me, atque auxilium expectassent: aut ego qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam, habere eos actorem Q. Caecilium, qui praesertim Quaestor in eadem provincia post me Quaestorem fuisset. Quo ego adjumento sperabam, hanc a me molestiam posse dimoveri, id mihi erat adversarium maxime. Nam illi multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos Quaestor non fuisset. Adductus sum, Judices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine, institutoque majorum, ut onus hoc laboris atque officii, non

ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore mihi suscipiendam putarem. Quo in negotio tamen illa me res, judices, consolatur, quod haec, quae videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem, si mihi unus est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor, et non omnino a defendendis hominibus, sublevandisque discedere.

*Affer, si in promptu est, exemplum insinuationis ab italico oratore depromptum.*

**R. In promptu est luculentissimum illud Joannis Casae exordium ab insinuatione in oratione ad Carolum Quintum de restituenda Placentia. Ab hoc videre licet quantum a Tullio mutuatus sit coloris et magnificentiae orator noster.**

Siccome veggiamo intervenire alcuna volta, Sacra Maestà, che quando o cometa o altra nuova luce è apparita nell' aria, il più delle genti rivolte al cielo, mirano colà, dove quel meraviglioso lume risplende; così avviene ora del vostro splendore e di Voi: perciocchè tutti gli uomini, e ogni popolo, e ciascuna parte della terra, risguarda inverso di Voi solo. Nè creda V. M. che i presenti Greci, e noi Italiani, ed alcune altre nazioni dopo tanti e tanti secoli si vantino ancora, e si rallegrino della memoria dei valorosi antichi principi loro, ed abbiano in bocca pur Dario, e Ciro, e Serse, e Milziade, e Pericle, e Filippo, e Pirro, e Alessandro, e Marcello, e Scipione, e Mario, e Cesare, e Catone, e Metello; e questa età non si glorii, e non si dia vanto di avere Voi vivo e presente; anzi se ne esalta, e vivene lieta e superba. Per la qual cosa io sono certissimo che essendo voi locato in sì alta, e sì ragguardevole parte, ottimamente conoscete che al vostro altissimo grado si conviene che ciascun vostro pensiero, ed ogni vostra azione sia non solamente legittima e buona, ma insieme ancora laudabile e generosa: e che ciò che procce-

de da Voi, sia non solamente lecito e conceduto ed approvato, ma magnanimo insieme, e commendato, ed ammirato: conciosiachè la vostra vita, i vostri costumi, le vostre maniere, e tutti i vostri preteriti e presenti fatti sieno non solamente attesi, e mirati, ma ancora raccolti e scritti, e diffusamente narrati da molti; sicchè non gli uomini soli di questo secolo, ma quelli che nasceranno dopo noi, e quelli che saranno nelle future età, e nella lunghezza, e nell' eternità del tempo avvenire, udiranno le opere vostre, e tutte ad una ad una le saperanno, e come io spero, le approveranno tutte, siccome diritte e pure e chiare e grandi e meravigliose: e quanto il valore e la virtù fia cara agli uomini ed in prezzo, tanto fia il nome di V. M. sommamente lodato e venerato. Vera cosa è che molti sono, i quali non lodano così pienamente, ch' Ella ritenga Piacenza com' essi sono costretti di commendare ogni cosa, che insino a quel dì è stata fatta da Voi. E quantunque assai chiaro indizio possa essere a ciascuno, che quest' opera è giusta, poichè ella è vostra e da voi operata: nondimeno perocchè ella nella sua apparenza, e quasi nella corteccia di fuori, non si confà coll' altre vostre azioni, molti sono coloro che non la riconoscono, e non l' accettano per vostro fatto, non contenti che ciò, che ha da Voi origine, si possa a buona equità difendere, ma desiderosi che ogni vostra operazione si convenga lodare.

Segnerus ipse noster in multis concionibus hoc utitur exordio, uti videre cuique licebit. Unum exemplar tantum attingam ex Concione IX. in qua defunctorum, quos purgatorius ignis omnibus vitae admissis emundat, causam dicit.

Uno de' più sventurati uomini, che leggansi nelle storie o antiche o moderne, parmi quel paralitico, di cui stamane favellasi nel Vangelo. Sentite s' io dico il vero. Erano già trentott' anni ch' egli giaceva addolorato ed afflitto là sulle sponde della Piscina Probatica, che pe-

rò non potea non essere notissimo a quanti ivi venivano per rimedio, ovvero per curiosità. Avea per la lunghezza del male il colore smorto, le luci rientrate, le carni incadaverite, le vesti squallide; ed è probabile ancor che co' gridi flebili, e che con gli atti pietosi dovesse muovere a compassion fino i sassi. Dall' altra parte non richiedendosi a liberarlo altre forze, o altra fatica fuor che di un uomo, che con la prima opportunità l' attuffasse dentro a quell' acque, non avea potuto in tanti anni trovarne alcuno. E non fu questa una stravagante disgrazia? Se a sollevar quel meschino dai suoi languori fosse stato bisogno, che altri spendesse qualche gran parte di rendite in medici e in medicine: se si fosser dovute cercare sulle montagne l' erbe più elette per distillargliele in sughi: se si fosser dovute pescar nel mare le perle più pellegrine per macinargliele in polvere; non mi parrebbe per ventura sì strano veder quel misero in tale abbandonamento. Ma mentre altro non richiedevasi, che correre a suo tempo a dargli un sol urto con cui sbalzarlo nell' acque, non fu ella una gran cosa, che in trentott' anni egli non giungesse a trovar nessuno amico benevolo, nessun parente obbligato, nessun uomo caritativo, che nemmen di sì poco lo favorisse? Massimamente s' è vero ciò che ne dicono gravi autori, ed è, che la calata dell' Angelo sempre fosse in un tempo determinato, cioè nella Pentecoste; onde tanto più si poteva opportunamente pigliare un dì la congiuntura propizia. La disgrazia di quest' uomo infelice chiama il mio spirito ad una contemplazione, che vi può forse giungere inaspettata, ma non discara; ed è, che in costui vengaci per ventura raffigurata la somma calamità delle anime abbandonate nel Purgatorio. Oh che Probatica è quella, signori miei, di febbricitanti, di assiderati, di addolorati, di languidi d' ogni sorta! Altro che trentott' anni hanno ivi giaciuto una gran parte di esse! Qual cento, qual dugento, qual mille; nè manca ancor chi sino al dì del giudizio v' è condannata. Eppure richiedendosi a liberarle sol che taluno stenda

loro la mano, non per attuffarle nell' acqua, ma per estrarle dal fuoco; vengono spesso a ritrovarsi senza uomo che le soccorra. Io, per l' affetto svisceralo che porto, per gli obblighi innumerabili che professo a quelle sante anime, ho risoluto di prendere finalmente le loro parti, e di venirvi in loro nome a proporre una dolente sì, ma giusta querela, che ognuna d' esse vi esprime in queste tre voci: *Hominem non habeo.*

*Abruptae orationis exemplum cedo.*

R. Inter Tullianas orationes hujusce generis duo inveni, et exhibebo. Alterum ex iracundia, alterum ex laetitia ortum habet.

1. Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quamdiu etiam furor iste tuus nos eludet? Quem ad finem sese effraenata jactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil consensus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi Senatus locus, nihil horum ora, vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis? Constrictam jam horum omnium conscientia teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii caeperis, quem nostrum ignorare arbitraris? O tempora, o mores! Senatus haec intelligit, Consul videt: hic tamen vivit: vivit? imo vero etiam in Senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis ad caedem unumquemque nostrum. Nos autem viri fortes satisfacere Reipublicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci jussu Consulis jampridem oportebat, in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero vir amplissimus P. Scipio Pontifex maximus Tiberium Graccum mediocriter labefactantem statum Reipublicae privatus interfecit; Catilinam vero, orbem terrae caede, atque incendiis vastare cupientem, nos Consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod Q. Servilius Ahala Sp. Me-

lium novis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac Republica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum, quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus sesatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave: non deest Reipublicae consilium, neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico aperte, Consules desumus. (*Orat.* 1. *in Catil.*)

2. Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam, furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosequuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. Nulla jam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur. Atque hunc quidem unum belli domestici ducem sine controversia vicimus. Non enim jam inter latera nostra sica illa versabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domesticos parietes pertimescemus. Loco ille motus est, cum est ex urbe depulsus: palam jam cum hoste, nullo impediente, bellum justum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus, cum illum ex occultis insidiis in apertum latrocinium conjecimus. Quod vero non cruentum mucronem, ut voluit, extulit; quod vivis nobis egressus est; quod ei ferrum de manibus extorsimus; quod incolumes cives, quod stantem urbem reliquit; quanto tandem illum moerore afflictum esse et profligatum putatis? Jacet ille nunc prostratus, Quirites, et se perculsum, atque abjectum esse sentit; et retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam ex suis faucibus ereptam esse luget. Quae quidem laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit, forasque projecerit. (*Orat.* 2. *in Catil.*)

*Velim afferres exemplum italicum orationis abruptae.*

R. Libentissime satis tibi facerem: at fateor in italicis oratoribus nullum adhuc me invenisse. Cum

enim ita exordiantur ut proponant ac dividant, idest ut non affectuum vi rapiantur, sed ratione ducantur, et quadam veluti majestate procedant; vix posse evenire reor ut hoc adhibeant orationis genus, quae ex concionum popularium fluctibus, ac tempestatibus saepissime ortum habet. Orator enim qui argumentis aliquid probare vult, sive placido sive vehementiori utatur orationis genere, intellectum auditoris convincere studet, in quo, nisi firmata et probata oratio, valere non potest. Nonnulla in historicorum concionibus, ubi de populi vel militum contentionibus referunt, invenire haud difficile est. Quare duo hic praebebo, alterum ex Giambullario (qui est noster Herodotus) alterum ex Francisco Guicciardinio, qui et Livius noster est. In his certe vim et impetum invenire possis.

**Cum a Berengario rege magna militum vi Pannonii insectarentur, frustraque fugam tentassent, legatos ad illum de pace mittunt. Re infecta, conditionibusque repudiatis, in concionem veniunt, ibique miles quidam ferocissimus assurgens, hujusmodi orationem habet.**

Dove, dove sono fuggite al presente, valorosi compagni miei, quelle rare vostre virtù, ferocità, fortezza, e audacia, col dispregio stesso della morte, le quali sino al giorno presente, con somma gloria di tutta Scizia vi hanno alzati sopra alle stelle? Dove è quell'invitta fierezza per la quale il primo splendore degli Ungheri, certissimo di dover perdere, si condusse a far la giornata co' Romani e co' Goti insieme? Dove sono quegli animi eccelsi, che per farsi immortali al mondo, soggiogarono la Pannonia, la Tracia, la Macedonia, la Schiavonia, la Germania, la Gallia, e quella istessa Italia, dove noi, loro figliuoli, pensiamo ora solo a fug-

gire, o a darci forse prigioni con vergogna vieppiù che eterna? È possibile però che noi siamo Ungheri, ed alloggiamo pensieri sì vili? È possibile che i maggior nostri ci lasciassero tante provincie, tante vittorie, tanti trofei: e che noi vogliamo lasciare a chi verrà dopo noi tanta vergogna, cotanto obbrobrio, e vituperio sì sempiterno? Ma dirammi forse qualcuno: A casa non si può ire, che il nemico armato lo vieta; le fiumare lo proibiscono, e i cavalli stracchi e svenuti ce lo niegano interamente. Mantenerci dove noi siamo, non si puote in maniera alcuna; perchè sebbene potessimo difendere gli alloggiamenti dagli avversari, non gli potremo però salvar dalla fame: ed il combattere con tanto disvantaggio, non è un tentar la vittoria, ma un manifestissimo andare alla morte. Che possiamo noi dunque fare? Che possiamo fare? Possiamo morire, ma come uomini; possiamo perder la vita, ma con onore nostro, e con danno degli avversari; possiamo anticipare quell' ultimo fine, dove tutti i nati pervengono, ma con vantaggio nostro, e con perdita del nemico. Non è egli molto meglio morire gloriosamente che vivere con vituperio? Quando mai si può morir meglio, che avanti al bramare la morte? Ditemi: se voi vi date a costoro per ischiavi, non morrete voi come gli altri, poichè a tutti è proprio il morire? Morrete certamente, ma con istrazi infiniti, con biasimo, con vergogna, e con vituperio non solamente di voi medesimi, ma di tutto il paese vostro. Oh! non è egli meglio, se e' bisogna morire al tutto, morire armato, e da valente uomo, che morir nudo ed in catena, e scannato come le bestie? Se voi siete certi che vi bisogna morire al tutto, che semplicità è la vostra a temere una cosa che non si può fuggir da persona? Non si fugge la morte con lo allungarla, ma bene si diminuisce molto la gloria col cercar di voler fuggirla. È egli però altro la morte che una fine eterna di tutti i mali? La quale per quanto la ragione ce ne mostra, non può esser grave, consistendo tutta in un punto; non acerba finendo in essa tutti i disagi,

e tutte le doglie; e non misera certo, o nojosa, non essendo più che una volta. (ex 2. libr. Hist.)

Eodem fere modo Cardinalis Sedunensis, apud Franciscum Guicciardinium in Italicae Historiae libro 12 capite 5. Helvetios milites hortatur ut acrius bello instent, Francorumque regem, nulla interposita mora, eodem die aggrediantur et urgeant.

Dunque ha la nazion nostra sostenuto tante fatiche, sottopostasi a tanti pericoli, sparso tanto sangue, per lasciare in un dì solo tanta gloria acquistata, tanto nome agl' inimici stati vinti da noi? Non sono questi quei medesimi Franzesi che accompagnati da noi hanno avute tante vittorie? abbandonati da noi sono sempre stati vinti da ciascuno? Non sono quei medesimi Franzesi, che da piccola gente dei nostri furono l'anno passato rotti con tanta gloria a Novara? Non sono eglino quelli, che spaventati dalla nostra virtù, confusi dalla loro grandissima viltà, hanno esaltato insino al cielo il nome degli Elvezi; chiaro quando eravamo congiunti con loro, ma fatto molto più chiaro, poichè ci separammo da loro? Non avevano quegli che furono a Novara nè cavalli nè artiglierie, avevano la speranza propinqua del soccorso; e nondimeno credendo a Mottino, ornamento e splendore degli Elvezi, assaltatili valorosamente ai loro alloggiamenti, andati ad urtare le loro artiglierie gli ruppero, ammazzati tanti fanti tedeschi, che nella uccisione loro straccarono le armi e le braccia. E voi credete che ora ardiscano di aspettare quarantamila Svizzeri, esercito sì valoroso e sì potente, che sarebbe bastante a combattere alla campagna con tutto il resto del mondo unito insieme? Fuggiranno, credetemi, alla sola fama della venuta vostra. Non hanno avuto ardire di accostarsi a Milano per confidenza della loro virtù, ma solo per la speranza delle vostre divisioni: non li sosterrà la persona, o la presenza del Re, perchè per timore di non mettere in pericolo o la vita o lo stato, sarà il primo a cercare

di salvar sè, e dare esempio agli altri di fare il medesimo. Se con questo esercito, cioè con le forze di tutta Elvezia, non ardirete di assaltargli, con quali forze vi rimarrà egli speranza di poter resistere loro? A che fine siamo noi scesi in Lombardia? A che fine venuti a Milano, se volevamo aver paura dello scontro degl' inimici? Dove sarebbero le magnifiche parole, e le feroci minacce usate tutto quest' anno? Quando ci vantavamo di voler scendere in Borgogna; quando ci rallegravamo dell' accordo del re d'Inghilterra, dell' inclinazione del Pontefice a collegarsi col re di Francia, riputando a gloria nostra quanti più fossero uniti contro allo Stato di Milano? Meglio era non avere avute questi anni sì onorate vittorie; non aver cacciati i Franzesi d' Italia; essersi contenuti nei termini della nostra antica fama, se poi tutti insieme, ingannando l' espettazione di tutti gli uomini, avevamo a procedere con tanta viltà.

Quibus exemplis facile cuique patebit orationem abruptam et brevem et concitatam, non dispositis, sed veluti conglomeratis argumentis auditoris animum adoriri debere, totamque in vehementioribus affectibus versari.

## §. 1.

### *De officio et munere Exordii: et de concilianda benevolentia.*

*Quodnam est officium ac munus Exordii?*

R. Triplex; ut nempe reddat auditorem benevolum, attentum et docilem.

*Unde reddet auditorem benevolum?*

R. Ex quadruplici capite; 1. a persona oratoris ipsius; 2. a persona adversariorum; 3. a persona

auditorum vel judicum: 4. ab illius pro quo dicitur persona.

*Quomodo reddet auditorem benevolum a persona oratoris ipsius?*

R. Si orator modestiam, pudorem, probitatem et ingenuum quemdam candorem, ore potius et reipsa praeseferat, quam verbis ostentet. Poterit tamen interdum sua merita, suum officium, suas virtutes, sed parce omnino ac sine arrogantia, commendare; quod mirifice facit Tullius, in oratione pro Archia suo quondam magistro, cujus exordium jam supra proposuimus: et in oratione pro C. Rabirio.

Etsi, Quirites non est meae consuetudinis initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque defendam, propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis semper satis justam mihi causam necessitudinis esse duxi; tamen in hac defensione capitis, famae, fortunarumque omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur esse officii mei, propterea quod, quae justissima mihi causa ad hunc defendendum esse visa est, eadem vobis ad absolvendum debet videri. Nam me cum amicitiae vetustas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meae vitae perpetua consuetudo, ad C. Rabirium defendendum est adhortata; tum vero, ut id studiosissime facerem, salus Reipublicae, consulare officium, consulatus denique ipse, mihi una vobiscum cum salute Reipublicae commendatus coegit. etc.

*Quomodo colligetur benevolentia ab* [redacted] *persona?*

R. 1. Si dicamus nos nimiam illorum eloquentiam aut gratiam revereri, unde illa reddatur suspecta judicibus: quod pulchre admodum facit Cicero pro Quintio.

Quae res in civitate duae plurimum possunt, hac contra nos ambae faciunt hoc tempore, summa gratia et

eloquentia, quorum alteram C. Aquili vereor, alteram metuo.

2. Si illos in odium et in invidiam adducere, vitiorum quibus laborant commemoratione, conemur, ut pro Dejotaro.

Crudelem Castorem, ne dicam sceleratum et impium; qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiaeque suae terrorem intulerit ei, cujus senectutem tueri et tegere debebat.

Quod si adversarius sit vir bonus notaeque probitatis ac fidei, Tullium imitaberis qui cum pro Muraena diceret, Catonemque virum antiquae virtutis haberet adversarium, non quidem in ejus vita moribusque quidquam culpavit, sed tamen ut illi quomodocumque fidem detraheret sectam Stoicorum, cui se Cato totum addixerat, irridere coepit, idque tam salse, tam facete, ut judicium risu dissolveretur, et Cato ipse diceret, *quam ridiculum habemus Consulem!*

*Quomodo captabitur benevolentia a persona vel auditorum vel judicum?*

R. 1. Si eis confidere videatur orator, ut pro Roscio Amerino. 2. Si suam causam cum eorum utilitate conjungat, ut passim in Philippicis. 3. Si eorum justitiam, fidem, auctoritatem, et dotes caeteras modeste commendet, ut in exordio Milonianae, ubi Tullius Pompejum laudat a sapientia justitiaque cum ait:

Sed me recreat et reficit Cn. Pompeji sapientissimi et justissimi viri consilium, qui profecto nec justitiae suae putaret esse, quem reum sententiis judicum tradidisset, eumdem telis militum dedere: nec sapientiae, temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare.

Imo ne ipse quidem Paulus Ap. hoc sibi negligendum putavit, cum pro se ipse diceret, apud regem Agrippam, Actorum cap. 25.

De his omnibus quibus accusor a Judaeis, rex Agrippa, aestimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie; maxime te sciente omnia, et quae apud Judaeos sunt consuetudines et quaestiones. Propter quod obsecro patienter me audias.

*Quomodo paratur benevolentia a persona clientis, sive illius cujus causa agitur?*

R. Si illius innocentiam virtutemque commendes: si illius calamitatem, amicorum inopiam, et solitudinem conquueraris, ut Cicero pro Roscio Amerino.

*Semperne laborandum est in Exordio ut captetur auditorum benevolentia?*

R. De captanda benevolentia non valde laborandum est in causis illis quae per se sunt honestae, sed tantum in iis quae sunt vel paradoxae, vel dubiae, vel humiles.

*Quid sunt causae honestae?*

R. Sunt illae quibus statim et ultro, sine ulla insinuatione, favet auditoris animus; ut si filius pro optimo parente dicat, inquit Augustinus; vel si Deum aut Superos laudes, vel si virtutem commendes. In his igitur causis, de captanda benevolentia non erit tibi magnopere laborandum.

*Quid sunt causae incredibiles, quae etiam admirabiles, et paradoxae vocantur?*

R. Sunt illae, quae communi opinione, praejudicioque damnantur; cujusmodi est, si quis dicat pro sacrilego, vel pro parricida. Hujusmodi fuit Isocratis oratio, qua laudibus extulit crudelissimum illum tyrannum Busiridem, qui hospites mactabat.

*Quid sunt causae dubiae?*

R. Dubiae, vel ancipites, dicuntur illae quae partim honestae videntur, partim turpes. Dubia ex. gr. fuit

Orestis causa, qui matrem Clitemnestram interfecit, sed ut patrem Agamemnonem ab illa interfectum ulcisceretur.

*Quid sunt causae humiles?*

R. Causae humiles dicuntur illae, quae sunt de re exigua, vel etiam de re vili abjectaque; ut si quis ad Senatum referat *de cloacis purgandis, aut litem intendat alteri de tribus capellis.*

In his igitur aliisque id genus humilibus causis, itemque in illis quae minus gratae sunt auditoribus opus est insinuatione, seu exquisitiore quadam arte qua orator dissimulate et latenter in auditorum animos irrepat.

## §. 2.

### *De paranda Attentione.*

*Undenam conciliatur attentio?*

R. Conciliatur partim promissione, partim petitione: promissione quidem si polliceamur nos esse dicturos de rebus vel novis, vel magnis, vel utilibus, vel jucundis. Ita Cicero pro Rabirio.

Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam, rem nullam magis periculosam, magis omnibus vobis providendam, nec a Tribuno plebis susceptam, a Consule defensam, neque ad Populum Romanum esse delatam.

Et ut sacra profanis aspergamus identidem, ipse Joannes Apostolus afflatus divino Spiritu, quam magnifica, tam vera pollicitatione, suam epistolam sic exorditur.

Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae con-

trectaverunt de verbo vitae: et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem et apparuit nobis.

Nolim tamen montes, ut ajunt, aureos in ipso dicendi initio polliceatur orator, ut auditorum attentionem sibi paret: nam orationem minime initiis respondens, facile auditor fastidit et spernit. Quod si satis appareat rem de qua agitur esse abjectam et exilem plus efficiet orator, si rotunde statim, et ingenue profiteatur se in re omnino tenui laborare, quam si grandia nequidquam polliceatur: sed causae tenuitatem aequitate, vel necessitate, vel aliunde compensare conabitur, ut Cicero Philippica 7.

Parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur, P. C. de Appia Via, et de Moneta.

Hoc eodem artificio apud Quintilianum pauper utitur divitem accusans, qui veneno per flores pauperis sparso apes ejus interemerat.

Unum, *inquit*, oro ne cui minor dignitate vestra videatur causa litis meae. Ante omnia enim non debetis expectare uti pauper magna perdiderim: sed quantulum sit, quod abstulerit mihi dives, minus est quod reliquit.

*Quaenam est ratio conciliandae attentionis?*

R. Conciliandae attentionis ratio est *petitio*; cum scilicet auditores rogamus, ut studiose ac diligenter velint attendere, uti Cicero pro Sexto Roscio:

Quapropter vos oro, atque obsecro, judices, attente bonaque cum venia verba mea audiatis.

Et pro Milone:

Quamobrem adeste animis, judices, et timorem, si quem habetis, deponite. Nam si unquam de bonis ac fortibus viris, si unquam de bene meritis civibus potestas vobis judicandi fuit etc.

Quamvis autem sub ipsum Exordium postulari soleat attentio, satius tamen erit interdum illam in ipso orationis decursu postulare: cum scilicet auditoris animus, initio arrectus et alacer, languescere incipit, et defatigatae illius aures incipiunt peregrinari, ut solet. Hoc egregie praestitit Tullius pro Cluentio, dum sic ait:

Vos quaeso, ut adhuc me attente audistis, item quae reliqua sunt audiatis. Profecto nihil a me dicetur, quod non dignum hoc conventu et silentio, dignum vestris studiis atque auribus esse videatur.

## §. 3.

### *De comparanda Docilitate.*

*Quaenam est, et quomodo comparatur docilitas?*

R. Ea est per quam facillime auditor discit, et quid agatur intelligit, atque attentissime audire paratur, remotis omnibus quae nostrae causae obstare videantur. Tribus maxime rebus comparatur docilitas.

1. Si brevem te fore promittas, stesque promissis. Ut enim eleganter et ingeniose monet Tullius, multo satius est ut orator desinat, quam si deficiat; et ut auditor cum desiderio, quam si cum fastidio ac satietate recedat.

2. Comparabitur docilitas, si breviter, dilucide, simpliciterque proponas qua de re dicturus sis. Ita Cicero pro Lege Manilia.

Dicendum est enim de Cnei Pompeji singulari, eximiaque virtute.

Nec video (ait Fabius) quod hujus rei possit apud oratores reperiri melius exemplum, quam Ciceronis pro Cluentio:

Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes: quarum altera mihi niti et magnopere confidere videbatur invidia jam inveterata judicii Juniani: altera tantummodo consuetudinis causa timide et diffidenter attingere rationem veneficii criminum, qua de re lege est haec quaestio constituta.

3. Fiet docilis auditor si tuam orationem in duo, vel tria summum capita perspicue partiaris, ut cum ait Tullius Philippica 7.

Cur pacem nolo? quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest: quae tria dum explico, peto a vobis P. C. ut eadem benignitate, qua soletis, verba mea audiatis.

Sed quoniam permagni interest ad eloquentiam quemadmodum proponat, et orationem suam partiatur orator, et quia hic locus est in tota Rhetorica longe difficillimus tyronibus praesertim, de utroque illo capite accuratius nobis infra esse disputandum arbitramur.

## §. 4.

### *De virtutibus ac vitiis Exordii.*

*Quae sunt Exordii dotes ac virtutes?*

R. Quatuor vulgo recensentur 1. proprietas, 2. cura, 3. verecundia, 4. brevitas.

*In quo posita est proprietas?*

R. In eo posita est proprietas 1. ut exordium cum reliqua oratione sit conjunctum, et omnia cohereant tamquam caput cum corpore: 2. ut sit ex re de qua agitur quasi natum, et ex ipsis causae visceribus ita depromptum, ut ex illius natura quodammodo

videatur efflorescere. Facile ergo proprietatem assequemur si rem totam meditati ex iis rebus quae erunt uberrimae vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas digredi saepe oportet exordium sumamus. Ita et momenti aliquid afferet, et erit ex quaestione ipsa depromptum non vulgare, non commune exordium, sed ita proprium ut in aliam causam transferri non possit, ut quasi, ait Tullius ex eadem re de qua tum agitur effloruisse videatur. « *Omnibus rebus consideratis,* Tullius idem inquit, *tum demum id quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum occurrit, nisi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare.* »

*In quo posita est Exordii cura?*

R. In eo posita est, ut Exordium sit plenum dignitatis, sit accuratum, sit acutum, et aptum verbis, et instructum sententiis, et quod periti solent architecti *vestibula, aditusque ad causam faciat illustres.* Prima quippe oratoris commendatio proficiscitur ab exordio, quod si negligentius tractatum fuerit, reliqua omnia fastidiet et nauseabit auditor. Ut enim monet optime Fabius, pessimus sane videtur gubernator ille, qui e portu solvens statim ad scopulos navem appellit. Sit ergo sollicitudo rerum, et verborum cura: namque auditor, nullis occupatus argumentis et pene vacuus, totam mentis aciem in rebus et in verbis intendit, facilis pronusque ad carpendum si quid inepte vel ineleganter dixeris. Ita tamen de verbis oratorem occupatum velim ut videatur accurate non callide dicere.

*In quo consistit Exordii verecundia?*

R. In eo consistit quod orator dicere incipiens praeseferat ingenuum illum pudorem quem in ora-

tore summo Lucio Crasso tantopere laudabat Cicero. « *Fuit enim*, inquit, *in L. Crasso pudor quidam, qui non modo non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.* » Et ipse etiam de se sic confitetur libro 1. de Oratore. « *In principiis dicendi tota mente atque omnibus artubus contremisco.* » Sciebat enim summus ille dicendi artifex et doctor, offendi solere auditorum animos, si orator velut exultans sibique praesidens ad dicendum accedat. « *Frequentissime*, ait Quintilianus, *prooemium decebit et sententiarum et compositionis, et vocis, et vultus modestia: adeo ut in genere causae etiam indubitabili, fiducia se nimium exerere non debeat. Odit enim judex fere litigantis securitatem: cumque jus suum intelligat, tacitus reverentiam postulat.* » Ipsa tamen verecundia modum habere debet nec quamdam animi imbecillitatem ac demissionem ostendere, quod obesse facile poterit. Is enim animo deficit, qui suae diffidit causae.

*In quo sita est brevitas Exordii?*

R. In eo sita est, ut Exordium reliquae orationis magnitudini sit accommodatum, et ut inani verborum circuitione non producatur longius quam par sit. Neque enim profecto cubitalis pygmaei corpori giganteum caput, aut humili tugurio valvae praegrandes, ingensque vestibulum affingi debent. Quod si fiat, bellissime sane quadrabit in enormia id genus prooemia facetum illud Diogenis dictum ad Myndios qui suo oppidulo grandes et magnificas fores affixerant. « *Viri Myndii, portas claudite, ne urbs exeat.* » *Oportet*, inquit Tullius, *ut aedibus, ac templis vestibula et aditus, sic causis principia proportione rerum praeponere* »; quod est ea uti brevitate quam res ipsa postulat.

*Quae vitia sunt in Exordio vitanda?*

R. Vitiosum erit Exordium quod proprie cum reliqua oratione non cohaereat, sed sit vulgare ac commune, ita ut in plures causas possit accommodari, et eodem adversarius uti possit vel leviter commutato. Hujusmodi exordia lepide comparantur ephippio quod equis bene multis accommodetur, vel gladio delphico, qui ad hunc modum factus erat, ut eodem et sacras mactarent victimas et supplicio nocentes afficerent.

Vitiosum etiam erit si procul accersitum, longiusque petitum: si nimium apparatis verbis compositum, ita ut arte concinnatum videatur, et veluti insidiis paratis ad judicem fraude petendum. Quidquid enim callide dictum est facile dicenti obest, et causae. Nec minus diligenter (docet Fabius) ne suspecti simus in ulla parte, vitandum est: propter quod minime ostentari debet in principiis cura, quia videtur ars omnis dicentis contra judicem adhiberi.

Vitiosum erit si nimio verecundiae studio vilescat, et animis cadat, ita ut oratorem de sua causa diffidentem ostendat. Omnis enim abjectio judicem et auditores offendit; nam facile spernimus qui se ipsum spernit.

Vitiosum denique erit, si vel nimis breve officium partes suas non expleat, vel nimis longum in caput excrevisse videatur, et quo praeparare debet, fatiget. Nolim ergo orationi caeteroqui longulae brevissimum affigatur exordium; neque brevi longum; ut enim ingentem Basilicam dedecent exiguae fores, ita giganteo corpori pygmaei caput, vel ingenti colosso globulus.

*Num in omni oratione locum habere debet Exordium?*

R. Minime in omni: nam aliquando, ut Fabius docuit, supervacaneum est, ut si sit praeparatus satis etiam sine hoc judex: aut si res praeparatione non egeat. Aliquando etiam, ut monuimus supra, impetu quodam abrepti in res medias auditorem rapimus, omni posthabito Exordio, quod illud orationis genus efficit quod abruptum diximus. In causis judicialibus saepe etiam pro exordio narratione utimur, eaque facti, vel quasi facti expositione animum judicis ad audiendum attente, et quadam docilitate et benevolentia paramus. Sed de his satis dictum est: nunc ad alia veniamus.

## §. 5.

### *De variis Exordiorum fontibus.*

*Undenam hauriri possunt Exordia?*

R. Varii sunt fontes unde derivari solet Exordium justum ac legitimum. Nos hic praecipuos indicabimus.

1. Exordium recte ducitur ab adjunctis personae, rei, loci, ac temporis; atque hic erat fons notus ac familiaris Tullio, qui hinc ferme solebat exordiri. In oratione pro M. Caelio exorditur a temporis insolentia; quippe die festo, contra quam fieri soleret, causam dicere cogebatur. Exordium Milonianae ducitur 1. a persona adversariorum qui armati forum obsidebant: 2. a persona Pompeji judicis: 3. ab insolita judicii forma. Pro rege Dejotaro ducit exordium ab angustiis loci in quo habita fuit haec oratio:

Moveor etiam ipsius loci insolentia, *inquit Tullius*, quod tantam causam, quanta nulla unquam in disceptatione

versata est, dico intra domesticos parietes, dico extra conventum, et eam frequentiam, in qua oratorum studia niti solent, in tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco . . . . . Hanc enim, C. Caesar, causam si in foro dicerem, eodem audiente, et disceptante te, quantam mihi alacritatem Populi Romani concursus afferret? Quis enim civis ei regi non faveret, cujus omnem aetatem in Populi R. bellis consumptam esse meminisset? Spectarem curiam, intuerer forum, coelum denique testarer ipsum . . . Quae quoniam augustiora faciunt parietes, actioque causae maxime debilitatur loco, tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre; quo facilius tum aequitas tua, tum audiendi diligentia minuat hanc perturbationem meam.

Atque hoc exordii genus praesertim Miloniani sane fuit pulcherrimum; quia non meditatum erat, domoque allatum, ut caetera: sed subito factum a Tullio, qui tamquam gladiator bonus, in arena consilium coepit ex tempore.

2. Ducitur Exordium rotunda simplicique rei expositione, sine fuco et calamistris, et sine ullo in speciem artificio. Ita Cicero pro Ligario.

Novum crimen, C. Caesar, et ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuisse.

3. Ducitur Exordium a contrario, cum prima fronte ea videmur dicere quae causae nostrae sint omnino contraria, et adversariis faveant, ut scilicet eos sensim in nostram sententiam nihil minus cogitantes pertrahamus; in quo sane est artis et industriae plurimum. Ita Alexander apud Curtium milites suos cohortaturus ut secum audacter pergant ad extremas Indiae partes, primo videtur probare illorum studia qui reditum in patriam cogitabant.

Magnitudinem rerum, *inquit*, quas gessistis, milites, intuentibus vobis, minime mirum est et desiderium quietis et satietatem gloriae occurrere etc.

Deinde mutata sensim velificatione in contrariam sententiam callidissime descendit.

4. Ducitur Exordium ab insigni quopiam effato et dicto, vel ab illustri exemplo. Ita Catilina suos conjuratos ad impium bellum adhortatur apud Sallustium hoc effato.

Compertum habeo, milites, verba virtutem non addere, neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum imperatoris oratione fieri.

Ita etiam Caesar dum in Senatu pro Catilina loquitur apud eumdem Sallustium, ab insigni effato sic exorditur.

Omnes homines, P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet.

5. Duci potest Exordium ab insigni aliqua quaestione; ita Tullius suum de Inventione Rethorica librum auspicatur.

Saepe et multum hoc mecum cogitavi, boni ne an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi, ac summum eloquentiae studium.

6. Praeclare admodum trahitur Exordium a suspensione quae mirifice praeparat auditorum animos, magnae alicujus rei expectatione, et illos acuit vehementi cupiditate sciendi quid demum sit illud quod polliceatur orator. Ita Cicero Verrina 1.

Quod erat optandum maxime, judices, et quod unum ad invidiam vestri ordinis, infamiamque judiciorum sedandam maxime pertinebat; id non humano consilio, sed prope divinitus datum, atque oblatum vobis summo Reipublicae tempore videmus. Inveteravit enim jam

opinio perniciosa Reipublicae vobisque periculosa, quae non modo Romae sed apud exteras nationes, omnium sermone percrebuit, his judiciis quae nunc sint, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, nullum posse damnari.

7. Denique exordium ab ipsis causae visceribus, hoc est ab intimis causae principiis trahendum est, et in illo solerter jacienda sunt argumentorum et affectuum omnia semina, quae deinde retractata fusius explicentur. Id vero non difficulter efficies, si ex Fabii Quintiliani praecepto diligenter intuearis, apud quos, pro quibus, contra quos, quo loco, quo tempore, quo rerum statu dicendum sit tibi; quid auditores ac judices sentire credibile sit; quis sit orationis tuae scopus, quid petas, quid consequi velis. Haec omnia ubi perspecta mature fuerint tibi, ipsa te magistra natura facile docebit, unde sit tibi capiendum orationis exordium.

## CAPUT VII.

### DE PROPOSITIONE

*Quid est Propositio?*

R. Propositio est id quod orator statuit, sibique audientibus probandum assumit. Haec totam complecti orationem necessario debet; in hac enim tamquam in cardine tota versatur oratio, ita ut omnia totius orationis argumenta, partesque omnes in illam, veluti in scopum metamque colliment. Haec attentionem parat, cum summatim aperiamus quid conveniat, quid in controversia sit, et quibus de rebus dicturi simus. In hac itaque statuenda multum

curae esse debet, cum ab illa facile tota pendeat oratio. In judiciis etiam saepe animadvertendum est, ne ita statuamus, ut nobis obesse possit. Quare, inquit Tullius, *inclinet ad id quod convenit in causae nostrae commodum.*

*Quaenam sunt Propositionis virtutes ac dotes?*

R. Quatuor vulgo assignantur Propositionis dotes 1. ut simplex unaque sit; 2 ut definita; 3. ut lucida; 4. ut brevis. Sunt qui addunt quintam, ut gravis vel nova sit, sed hoc non Propositionis dotem, sed orationis officium dicere velim.

*Quid est porro una simplexque Propositio?*

R. Una simplexque dicitur illa Propositio quae constat una simplicique sententia: v. g. *Pax est conficienda* = *Injuriae sunt condonandae.* Erit ergo una, si vel partes non habeat, vel habeat naturali arctoque vinculo connexas. Ex Propositionis unitate, unitatem orationis omnino pendere perspicuum est: quare semper meminisse debebit orator eximii illius et nunquam satis inculcati praecepti Horatiani.

*Denique sit quodvis simplex dumtaxat et unum.*
Sunt qui docent simplicem Propositionem felicius plerumque composita tractari: sed nec semper causa Propositionis optionem oratori permittit, et arcta rerum conjunctione etiamsi composita sit, non minus erit simplex et una.

*Quomodo definita erit Propositio?*

R. Definita erit si certis finibus circumscripta minime vaget, neque late patentem nimiamque materiam indicet, quam nec lucide et copiose tractare, nec ornare facile possit orator. Quare recte monet **Horatius.**

. . . . . . . *cui lecta potenter erit res,*
*Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.*

Cum vero definitam esse volumus, generalem non repudiamus. Saepe enim extra judicia quaestiones generales occurrunt: attamen hoc affirmamus singulares virtute praestare. Posset orator sibi proponere: *Studia omnia oblectationis utilitatisque plena esse*: at potius erit proponere = *Literarum studia aetates omnes oblectare*. In peculiari enim propositione melius certiusque auditores mentis aciem intendunt, valdiusque oblectantur.

*Quomodo erit lucida et brevis Propositio*?

R. Lucida erit si verbis propriis et non supervacue coacervatis expressa, recto ordine, nullis lenociniis nec nimio artis studio in longum dilata, neque nihil desit, neque superfluat, sed propriis coloribus sit distincta, ut non modo nullo labore intelligatur, sed etiam ut non possit omnino non intelligi. Brevis denique erit si nihil dicat nisi quod necesse, et paucis perspicuisque verbis contineatur. Nam cum ut diximus, in hac veluti in cardine tota versetur oratio, et semper ante oculos auditoris sit oportet; eritque quum facile memoriae mandari possit, et rem totam paucis exhibeat. Quare optime docet Horatius.

*Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se*
*Impediat verbis lassas onerantibus aures.*

*Quomodo novitatem habebit Propositio*?

R. Si argumentum ita proponatur, ut ex trito vulgarique fiat inusitatum, et auditorum animos statim arrigat feriatque; v. g. trita est vulgarisque haec propositio: *Homo multorum sibi malorum auctor est*; nihilque admodum dignum habet attentione. Fiet vero nova et admirabilis, si dicas cum Chrysostomo: *Nemo laeditur, nisi a se ipso*: vel: *Nemo miser, nisi qui velit*. Item vulgaris est haec propositio: *Mali ali-*

*quando sunt utiles virtuti*; itemque ista*: Mors minus dura accidit miseris quam felicibus*. Fiet autem illico utraque nova, mirificaque, si dicas: *Virtutem plus interdum improbis debere quam probis*: et *Felicitatis genus esse infelicem mori*.

*Quid est in Propositione observandum?*

R. In primis videndum illud quod probandum proponimus, ne ineptum ac vile sit: cum enim ejusmodi est, tum hominum aures vel minime attendunt, vel alio peregrinantur, nulla orationis voluptate arrectae: aut simûl dicentem et dicta contemptui habent, fastidiuntque. Neque quidquam abstrusum vel nimis alte petitum in medium proferre decet; quippe quod auditorum captum et intelligentiam effugere facile potest, vanaque subtilitate mentes onerare.

Caveant etiam tyrones, ne dum in propositione novitatem aucupantur, et illam, quam commendamus admirabilitatem captant, in frigidas, ut fit, ineptias, futiliaque paradoxa degenerent. Caveant ne dum nova proponere affectant, absurda, et quae mentes audientium offendunt in medium proferant; ut ex. gr. Segnero nostro ( ni fallor ) accidit in propositione concionis vigesimae, in qua sibi probandum assumpsit = *Christum aut hominem perditissimum, aut Deum esse* = In hac, ita vivam, aliquid videtur inesse quod mentibus vulgi offensionem afferre potest, et scandalum effundere. Quis enim unquam Christum fuisse hominem perditissimum affirmavit? Multos impie negasse scio, nemo adhuc mortalium scelestissimum dicere ausus est.

*Nullone ornatu perpolienda est Propositio?*

R. Cum totam artem omnemque Propositionis virtutem in hoc sita sit, ut orationis totius summam cla-

rius breviusque quam fieri possit, exponat, nil ornamenti postulare facile intelligi potest. Ait enim Horatius — *Ornari res ipsa negat contenta doceri.* Non tamen negaverim ex ipsa brevitate et perspicuitate concinnitatem quamdam oriri, verborumque proprietatem nullo artis studio cultum ornatumque praeseferre.

*Velim proferas Propositionis exempla latina.*

R. 1. Videas Tullianam illam in oratione pro Archia.

Perficiam profecto ut hunc A. Licinium non modo non segregandum, cum sit civis a numero civium, verum etiam, si non esset, putetis adsciscendum fuisse.

2. In oratione post reditum ad Quirites.

Quorsum igitur haec disputo? quorsum? ut intelligere possitis, neminem umquam tanta eloquentia fuisse, neque tam divino atque incredibili dicendi genere, qui vestrorum magnitudinem, multitudinemque beneficiorum, quae in me, fratremque meum, liberosque nostros contulistis, non modo augere, aut ornare oratione, *sed* enumerare, et consequi possit.

3. In oratione pro Lege Manilia.

Atque illud in primis mihi laetandum jure video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, causa talis oblata est, in qua oratio nemini deesse potest. *Dicendum est enim de Cn. Pompeji singulari, eximiaque virtute:* hujus autem orationis difficilius est exitum, quam principium invenire.

4. Et denique in oratione pro Milone ornatiorem et ampliorem videas licet.

Quamquam in hac causa, judices, T. Annii tribunatu, et rebus omnibus pro salute Reipublicae gestis, ad hujus criminis defensionem non abutemur, *nisi oculis videritis insidias Miloni a Clodio factas:* nec sumus deprecaturi, ut crimen hoc nobis multa propter praeclara

in Rempublicam merita condonetis: nec postulaturi, ut, si mors Publii Clodii salus vestra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potius, quam Populi Romani felicitati assignetis: *sed si illius insidiae clariores hac luce fuerint*, tum denique obsecrabo, obtestaborque vos, judices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisque, vitam ut impune liceat defendere.

*Afferas quaeso nonnulla ex Scriptoribus italicis Propositionis exempla.*

R. 1. Habeas in oratione Joannis Casae ad Carolum quintum de restituenda Placentia.

E quantunque l' aver Vostra Maestà non dico tolta, ma accettata Piacenza si debba forse in sè approvare: nondimeno, perciocchè questo fatto verso di Voi, e con le altre vostre chiarissime opere comparato, per rispetto a quelle molto men riluce, e molto men risplende; esso non è da' servitori di Vostra Maestà, com' io dissi, volentieri ricevuto, nè lietamente collocato nel patrimonio delle vostre divine laudi. *E veramente pare da temer forte, che quest' atto possa recare al nome di Vostra Maestà, se non tenebre, almeno alcuna ombra, per molte ragioni*: le quali io prego Vostra Maestà, che le piaccia di udire da me diligentemente, non mirando quale io sono, ma ciò che dico.

2. Et in oratione Alberti Lollii de liberatione Christianissimi Regis Francisci primi ad eumdem Carolum V.

Cominciando adunque, Sacra Maestà, il mio ragionamento da quella parte, che è come il suolo, ed il fondamento di tutta questa materia; dico, che non essendo la infinita bontà di Dio, nè per altra via meglio, nè più espressamente che per la grandezza e frequenza de' beneficj, dagli uomini conosciuta: que' Principi tanto più degli altri alla divinità saran creduti appressarsi, quanto più gli altri di umanità, e di clemenza, e di cortesia si sforzeran d' avanzare. Laonde avendo Voi

già molte volte fatto conoscere altrui, che siete ornato di tutte quelle belle virtù, che alla sublimità del grado vostro si convengono: credesi fermamente da tutti i buoni, tanta dover essere l'umanità e la clemenza vostra verso il magnanimo e virtuoso Rè Francesco, *che l'onore e la laude e la gloria che nel liberarlo siete per acquistare, non pure fra gli uomini vi farà di perpetua fama degnissimo divenire, ma per cagione della modestia, e liberalità in un certo modo anco vi renderà simile a Dio.*

3. Et in concione Segneri de condonandis injuriis.

Se si avesse a mirare a quel che meritano essi (*i nemici*) io stesso, io stesso vorrei esser il primo ad imitare il vostro odio contro di loro. Ma il bene vostro è quel che a me preme tanto, o Signori miei, e perciò mi riscaldo, e perciò peroro, perchè io veggo chiaro che *voi per isfogare un impeto di passione inconsiderata, venite a tirarvi addosso un cumulo di sciagure inimmaginabili.*

4. Et in concione ejusdem — *Qua debeant homines reverentia colere templum Dei* —

Onde per riparare più al male possibile, che per rimediare il presente, vogl'io mostrarvi in questa mattina, uditemi, *quanto sia grave l'ingiuria che fanno a Dio quei, che diversamente usando da voi, profanano colla loro venuta le chiese in cambio di rispettarle.*

*Num semper necesse est uti Propositione?*

R. Non semper: in causis enim forensibus aliquando etiam sine Propositione satis manifestum est quid in quaestione versetur: utique si narratio ibi finem habet ubi quaestio. Oratio quam diximus abrupta necessario Propositione caret: est enim per totum orationis corpus diffusa, ut vis affectus, et impetus postulant. Si enim rapti ad dicendum sumus, in sum-

ma perturbatione animi, non potest mens ipsa in unum summatim exponere quae dicenda sunt. Propositio enim studium, et meditationem praesefert, quae in perturbatione esse non possunt. Exemplum luculentissimum in prima Ciceronis oratione in Catilinam habemus. Sed ubi res defendi non potest, et de fine quaeritur, Propositio valde utilis est. Item in causis obscuris ac multiplicibus.

## CAPUT VIII.

### DE DIVISIONE SEU PARTITIONE

*Quid est partitio?*

R. Partitio, de qua loquimur, ea est quae rerum distributam continet expositionem. In hac enim rerum earum de quibus sumus dicturi breviter expositio ponitur distributa, et quae conficitur, ut certas res animo teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum ( Cic. de Inventione l. 1. §. 22 ). Haec quid conveniat, aut quid non conveniat ostendit.

*Cur adhiberi solet in oratione divisio seu partitio?*

R. Tribus potissimum de causis. 1. Quia lumen affert orationi. 2. Quia juvat memoriam oratoris, et auditorum. 3. Quia levat audiendi fastidium; recreatur enim animus admonitione singularum partium orationis: quemadmodum viatores reficiunt spatia certis lapidibus, et intervallis distincta, ut ait Rutilius in Itinerario.

*Intervalla viae fessis praestare videtur,*
*Qui notat inscriptus millia multa lapis.*

*Quaenam sunt leges divisionis?*

R. Quinque. 1. Ut membra in quibus Propositionem distribuimus sint distincta et opposita, neque

unum in altero contineatur. Nam cum de virtutis laudibus dixeris, male subjunges temperantiae laudes; haec enim maxima inter virtutes recensetur, et cum omnes commendaveris, illam quoque suis laudibus es prosequutus, quae in virtutum omnium numero eminet.

2. Ut divisio sit plena: hoc est partes illius sive membra totam omnino complectantur et adaequent propositionem quae dividitur. Nam si imperfecta et non absoluta erit, numquam audientium mentes implebit. Non enim Demosthenes cum ad bellum Philippo inferendum Athenienses impellere vellet, fidem sibi fecisset si de justitia et utilitate belli dumtaxat dicere instituisset. Cum enim de bello strenue suscipiendo orationem haberet, sibi quoque declarandum erat vires necessarias ad hoc Athenienses habere, et commode geri posse. Inutile enim est dicere quod conveniat, nisi quomodo fieri commode possit ostendas. Quare cum orator aliquid auditoribus faciendum suadere velit, non satis est ut justitiam et utilitatem rei in partitione exponat, nam imperfecta, et inutilis erit, nisi et facultates et vires quibus fieri possit ostendat.

3. Custodiendum erit ut in divisione propositionis partes ita disponamus ut quodam naturali ordine procedant, neque majori subjungatur minus, sed semper increscat et augeatur oratio. Cum enim justum esse dixeris quod proposueris, statim et utile et decorum esse subjicies. Male certe composueris si primum de rei utilitate postea de justitia dicas. In justitia enim, quae est veluti rerum omnium fundamentum, aliae divisionis partes innitantur oportet.

4. Custodiendum etiam erit ut sit brevis memoriae gratia: si enim longior, facile memoria concidet: et

ut cum Fabio loquar, nimium articulosa divisio offundet orationi tenebras, parietque obscuritatem illam, contra quam fuit inducta.

5. Denique simplex et quasi obvia sit, non ad artis ingeniique ostentationem longius accersita, sed veluti natura ipsius rei exorta, verbisque propriis non translatis expressa, neque orationis floribus exornata et amplificata, ut facile memoriae mandari, et in memoriam facile revocari possit.

*Quid aliud erit in partitione observandum?*

R. In omni dictione, ait Tullius, meminisse oportebit, ut et prima quaeque pars, ut exposita est in partitione, sic ordine transigatur, et omnibus explicatis peroratum sit, ut nequid posterius praeter conclusionem inferatur. Orator igitur ad primam quamquo partem primum accedat, et omnibus absolutis, finem faciat. Turpissimum enim est, subdit Fabius, non eo ordine exequi, quo quidque proposueris.

*Estne semper in oratione necessaria divisio?*

R. Non semper necessaria est, inquit Quintilianus; aliquando etiam supervacua, cum res ipsa partiri neget, cum argumentorum ordinem turbet, cum denique vim et pondus orationi auferre possit. Itaque si opportune adhibita plurimum orationi lucis et gratiae confert, reficit audientes certo singularium partium fine, taediumque levat; si inopportune novitatis gratiam adimet, rerum ordinem permiscebit, molestiamque inferet.

*Cedo exempla partitionum ex Tullio.*

R. Cum Tullius in oratione pro Lege Manilia sibi proposuisset de singulari virtute Cn. Pompeji dicere, et Mitridatici belli opportunitatem exposuisset, ita propositionem dividit.

1. Primum mihi videtur de genere belli: 2. deinde de magnitudine: 3. tum de imperatore deligendo esse dicendum.

Et in oratione pro Quinctio postquam quaestionem causae proposuisset his verbis;

Negamus te bona P. Quinctii, Sex. Nevi, possedisse ex edicto Praetoris.

ita Propositionem dividit.

1. Nego fuisse causam, cur postularet: 2. nego ex edicto possidere potuisse: 3. nego possedisse -- Haec tria cum docuero, perorabo.

Ita in Philippica VII primum simplicem praemittit Propositionem hoc pacto;

Ego ille, dicam saepius, pacis semper laudator, semper auctor, pacem cum Marco Antonio esse nolo.

deinde partitionem subdit.

Cur igitur pacem nolo? 1. quia turpis est: 2. quia periculosa: 3. quia esse non potest.

In his Tullianis partitionibus licet agnoscas et virtutes omnes quas recensuimus, illamque praesertim postremam, qua docuimus nullum in divisionibus ornatum esse quaerendum.

*Affer nonnulla partitionis exempla italica.*

R. Nonnulla afferam, non ex Segnero nostro qui unicam simplicemque propositionem in deliciis habere visus est: et optime quidem; sed ab aliis profanis Scriptoribus deprompta. Joannes Casa in prima oratione habita apud Venetos pro Foedere ita Propositionem suam partitur.

Acciocchè le mie parole con alcun ordine procedano 1. io dirò prima del grave e mortal pericolo che soprastà, anzi, che tocca e percuote la misera Italia, e voi

per la soverchia potenza dell' Imperatore: 2. e appresso dichiarerò che a schifare e fuggire sì fatto pericolo, non si può trovare altro scampo, nè altro ricovero, fuorchè un solo senza più, cioè se voi collegherete le vostre forze, e l'armi vostre congiungerete con Santa Chiesa e col Rè Cristianissimo di Francia: 3. e dopo questo proverò che se voi accettate la lega, e la compagnia dei sopraddetti Principi, voi prenderete buono ed opportuno compenso alla vostra salute; il qual compenso o egli basterà a fermare il corso e l'impeto del comune avversario, ed avremo ozio e sicura pace come spero e desidero; o se ciò non potrà essere, egli fia sicuramente atto a sconfiggerlo ed abbatterlo, ed avremo gloriosa vittoria, certa e salda libertà.

Benedictus Varchius orationem in obitu Petri Bembi hoc pacto trifariam dividit.

Divideremo tutto questo nostro ragionamento in tre parti principali. 1. Nella prima delle quali c' ingegneremo di mostrare di quanto gran danno sia stato al mondo e universalmente e in particolare la perdita di un cotanto e cotale uomo, e quanto debba ciascuno piangerla, e attristarsene, così per cagion pubblica, come per interesse privato. 2. Nella seconda parte dichiareremo, come quanto a S. E. Reverendissima non solamente non ha nociuto punto la morte, ma infinitamente giovato, trovandosi Ella ora più che mai viva lassuso in Cielo collo spirito e quaggiuso in terra per la fama. 3. Nella terza ed ultima parte racconteremo alcuni particolari brevissimamente, mediante i quali ciascuno potrà conoscere che quanto da una parte si disdiceva a me, tanto dall' altra mi conveniva cotale officio.

Hae duae partitiones, dicere ausim, nimia prolixitate, et quadam veluti verborum luxurie laborant; caeterum nulla ex parte sunt improbandae: ni pars tertia in Varchiana ab aliis disjunctior esse videatur. Certe haec melior et aptior quae nobis praebet Joan-

nes Guidiccionius in oratione de Republica ordinanda ad Lucenses: ait ille.

1. Riprenderà primieramente l'Orazione mia le forme introdotte e adulterate in questa repubblica: 2 dopo rappresenterà l'immagine de' tempi e pericoli passati: 3 finalmente coll' esempio de' nostri avoli vi porrà avanti gli occhi la sicura e onesta amministrazione della repubblica.

*Dicas tandem velim num partitio habenda sit pars orationis a propositione sejuncta, num pars propositionis ejusdem?*

R. Sunt qui propositionis partem, sunt qui divisionem a propositione sejunctam esse contendant. Nos hoc tantum affirmabimus partem orationis alteram a propositione esse, sed tamen hoc pacto, ut sine propositione, sive expressa sive subaudita locum habere in oratione non possit. Partitionis id muneris est, ut docuimus, propositioni lucem afferre, ac veluti illam per partium enumerationem declarare. Haec igitur propositionem sequatur oportet. Non inficiabor tamen in orationibus quae ad genus deliberativum pertinent, exordio jam absoluto, vel ante vel post argumenti expositionem locum habere posse, et in causis forensibus etiam post narrationem sive facti expositionem: sed hoc non semper in more positum apud veteres, nec semper commodum esse dixerim. Hactenus de partitione: nunc de narratione nobis loquendum est.

# CAPUT IX.

## DE NARRATIONE

*Quid est Narratio?*

R. Narratio, de qua nunc nobis dicendum, est rerum explicatio, et quaedam quasi sedes, ac fundamentum constituendae fidei. In hac et ipsa causa et omnis ratio controversiae continetur. Alio loco de Narratione generatim disseruimus, quae historiae gratia vel delectationis, remota a civilibus causis describitur. Sed nunc de ea quae est rei factae vel quasi factae utilis ad persuadendum expositio nobis sermo est. Hujus finis auditorem docere quid in controversia sit, et veluti semina quaedam probationum spargere. Haec distinguenda est ab illa quae non ad expositionem ipsius causae, sed ad expositionem rerum ad causam pertinentium spectat. Illa enim improprie narratio dicitur, cum nil aliud sit, quam rerum ad causam pertinentium declaratio.

*Quaenam sunt Narrationis virtutes ac dotes?*

R. Hujusce Narrationis virtutes partim sunt cum aliis Narrationum generibus communes, partim propriae. Nam artis doctores eam volunt esse lucidam, brevem, et probabilem sive verisimilem: addunt etiam suavem. Lucidam esse oportet ut facile intelligatur, brevem ut facile memoria retineatur, verisimilem ut facile credatur, suavem denique ut cum quadam delectatione audiatur. Nisi enim judex, vel auditor intelligat, nisi memoriter teneat per totum orationis cursum, nisi credat, et voluptate quadam mente retineat, non solum non prodesse sed obesse potest Narratio, cum non animos causae reconciliare, sed adversos reddere possit.

*Quomodo lucida erit Narratio?*

R. Aperta erit Narratio atque lucida, ait Fabius, si fuerit primum exposita verbis propriis, et significantibus, et non sordidis quidem, non tamen exquisitis, et ab usu remotis: tum distincta rebus, personis, temporibus, locis, causis; ipsa etiam pronunciatione in hoc accommodata, ut judex quae dicuntur quam facillime accipiat. « *Hic igitur,* ut cum Tullio sequar, *considerandum erit nequid perturbate, nequid contorte dicatur, ne quam in aliam rem transeatur, ne ab ultimo repetatur, ne ad extremum prodeatur, nequid, quod ad rem pertineat, praetereatur.* » Atque ut lucida sit Narratio custodiendum maxime erit; si enim acciderit ut aut judex aut auditor non intelligat, frustra in reliquis orationis partibus laborabimus.

*Quomodo brevis erit Narratio?*

R. Brevis erit Narratio, ut idem Quintilianus docet, si inde ceperimus rem exponere unde ad judicem pertinet; deinde si nihil extra causam dixerimus: tum etiam si reciderimus omnia, quibus sublatis, nec cognitioni quidquam, nec utilitati detrahatur. Solet enim quaedam esse partium brevitas, quae longam tamen efficit summam: v. g. *In portum veni, navim prospexi, quanti veheret interrogavi, de pretio conveni, conscendi, sublatae sunt anchorae, solvimus oram, provecti sumus.* » Nihil horum celerius dici potest, sed sufficit dicere, *e portu navigavi.* Et quoties exitus rei satis ostendit priora, debemus hoc esse contenti, quo reliqua intelliguntur. Cavenda tamen erit obscuritas, quae nimium corripientem omnia sequitur; satiusque est aliquid Narrationi superesse quam deesse. Neque mihi unquam tanta fuerit cura

brevitatis, ut ea quae credibilem faciunt expositionem inseri nolim. Vitandum etiam est ariditatis vitium, quo omnis jucunditas tollitur, omnisque persuadendi gratia.

*Quomodo probabilis, vel verisimilis erit Narratio?*

R. « *Probabilis erit narratio*, inquit Tullius, *si in ea videbuntur inesse ea quae solent apparere in veritate; si personarum dignitates servabuntur, si causae factorum extabunt, si fuisse facultates faciendi videbuntur, si tempus idoneum; si spatii satis, si locus opportunus ad eam rem qua de re narrabitur, fuisse ostendetur; si res ad eorum qui agent naturam et ad vulgi morem, et ad eorum qui audiunt opinionem accommodabitur. Ac veri quidem similis ex his rationibus esse poterit.* » Hoc erit itaque in omnibus observandum ante omnia, ne quid dicamus naturae adversum; quod enim naturae adversatur auditores respuunt.

*Quomodo erit jucunda Narratio?*

R. Si quamdam concinnitatem ac festivitatem habebit, ita ut non historicorum pondere et verbis magnificis niteat, sed quasi quotidiani sermonis speciem praeseferat, familiarique, ita dicam, ornatu gaudeat. Suavis etiam et jucunda erit si distincta personis, et cum res poscit, interpuncta sermonibus sit: si ita rem subjiciat, ut mores eorum de quibus loquimur, sermo, vultus exprimatur, ut ii qui audiunt non auribus excipere, sed oculis intueri illa quae in narrationem cadunt, videantur. « Debet esse (ait Fabius) quam purissimus sermo, et qui varietate taedium effugiat, et mutationibus animum levet: ne in eumdem casum, similem positionem, pares elocutionum tractus incidamus. Caret enim caeteris lenociniis expositio,

et nisi commendetur hac venustate, jaceat necesse est Nec in ulla parte intentior est judex: eoque nihil recte dictum perit. Praeterea nescio quomodo etiam credit facilius, quae audienti jucunda sunt; et voluptate ad fidem ducitur. « Quare jucunda sit Narratio. Jucunda equidem erit si habeat admirationes, expectationes, exitus inopinatos, interposita colloquia personarum, motus animorum, dolores, iracundias, metus, laetitias, cupiditates. » Ita Tullius cujus verba usurpare saepissime gaudeo.

*Quid animadvertendum erit in Narratione?*

R. Hoc erit animadvertendum, ut Narratio ad probationes, et animorum motus accommodetur. Est enim, uti diximus, quasi sedes ac fundamentum constituendae fidei.

*Qua ratione ad probationes aptatur Narratio?*

R. Si ea quae causae prosint enodate ac lucidissime ostendamus; si nec illa quae contra nos erunt acriter persequamur, et quidquid poterit detrahamus ne causae nostrae noceamus: si denique ita argumentorum quaedam semina spargamus, quae in reliqua oratione efflorescant et vigeant, ac veluti lineae circuli quae in centrum confluunt, in Narratione coeant. « *Mea ratio*, inquit Tullius in libro de Oratore, *in dicendo haec esse solet, ut boni quod habeam id amplectar, exornem, exaggerem: ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream: a malo autem vitioque causae ita recedam, non ut id me fugere appareat, sed totum bono illo ornando et augendo dissimulatum obruatur.* » Sed effugienda erit in hac praecipua parte omnis calliditatis suspicio, ut opportune Fabius observat, nil videatur fictum, nil sollicitum, nil astu praetermissum, ita ut omnia potius a causa et sponte

profecta, quam ab oratore credantur. Nec illud praeteribo quantam afferat fidem expositioni, narrantis auctoritas, quam mereri debemus ante omnia quidem vita, sed et ipso genere orationis; quod quo fuerit gravius, et sanctius, hoc plus habeat necesse est in affirmando quoque ponderis. (Quintilianus)

*Qua ratione ad animorum motus accommodatur Narratio?*

R. Ad motus animorum accommodatur, si ubi major res erit, et atrocia invidiose, et tristia miserabiliter dicemus, non ut consumentur affectus, sed ut tamen veluti primis lineis designentur: ut plane qualis futura sit imago rei, statim appareat. Ita Marcus Tullius in tertia Oratione in Verrem, Philodami casum exponens per totam narrationem invidiam accendit, et in supplicio lacrymis implet. Et in septima cum verberatum civem Romanum ostendat omnes brevissime movet affectus. Cavendum erit tamen ne hisce motibus nimium indulgeamus; non enim affectus proprium locum *in narratione* obtinent, sed quasi mutuantur alienum.

*Quandonam Narratione utendum est, aut non?*

R. Quando utendum sit, aut non sit Narratione, id est consilii. Neque enim si nota res est, nec dubium quid gestum sit, narrari oportet. Nihil prodest Narratio tum cum ab adversariis re exposita, nostra nihil interest iterum, aut alio modo narrare: aut quum ab iis qui audiunt ita tenetur negotium, ut nostra nihil intersit eos alio pacto docere. Quod quum acciderit omnino Narratione supersedendum est. Multo minus Narratione utendum est cum causae obsit. « *Obest* vero *tum quum ipsius rei gestae expositio magnam excipit offensionem, quam argumen-*

*tando, et causam agendo leniri oportebit. Quod quum acciderit, membratim oportebit partes rei gestae dispergere in causam, et ad unamquamque confestim ratione accommodare, ut vulneri praesto medicamentum sit, et odium statim defensio mitiget. Nam ad summam totius caussae pertinet caute an contra demonstrata res sit, quod omnis orationis reliquae fons est narratio. Utemur ergo narratione, cum judicem vel audientes docere, vel quae nesciunt oportebit, vel quae evenisse sciunt, sed non ita evenisse. Neque enim hoc simpliciter accipiendum, quod est antea dictum, supervacuam esse narrationem rei quum judex noverit. Quod sic intelligi volo, si modo factum quo sit sciet; sed ita factum etiam ut nobis expedit, opinabitur. Neque enim narratio in hoc reperta est, ut tantum cognoscat judex, sed aliquando magis ut consentiat.* » ( Quintilianus. )

*De singulis generibus velim dicas in quibus narrandum sit, aut non.*

R. In genere judiciali praesertim uti Narratione praestat, ut exemplis Ciceronis, et ratione ipsa docemur. Nam quum fere ex facti natura vel accusatio, vel tota defensio pendeat, unicuique patebit argumenta omnia et probationes, quibus vel reum defendimus vel accusamus in facti expositione, tamquam in propria basi consistere. Non tamen in hoc genere, uti ostendimus, Narratio perpetuo usuvenit: neque eodem modo. In deliberativo genere tum locum habet Narratio, quum de re deliberandum maximi momenti est, vel ejusmodi ut deliberatio magna ex parte habitura sit firmamentum et pondus alterutram in partem ex Narratione, qua facile innotescat quo in statu, et quo in loco res sit. Fre-

quentius tamen expositione rerum utendum est. Demonstrativum denique genus multum in Narrationibus esse solet, non tamen in ea re de qua nunc sermo nobis est, sed tantum in iis de quibus in partis primae Capite XV. prolixius egimus.

*Quoniam de expositione attigisti, dicas velim, quaenam est.*

R. Expositio, quae improprie etiam narratio vocatur, eo quod narrationis locum tenet, ea est qua statum causae explicamus, vel declaranda rerum conditione, vel verbi sensu, aut rei definienda notione. Ut status causae plane intelligatur, aperiendum est quid nobis cum adversario conveniat, quid non, ita ut res in quam controversia cadit quam magis circumscribatur. Haec autem eadem fere ratione qua narratio ad probationes motusque animorum accommodanda est. Sunt qui doctrinam ostentandi gratia inutiles definitiones miserasque cavillationes ad pompam ingerunt, quibus nil molestius, nil putidius accidere audientibus potest. Quum enim plurimum referat toti orationi lucidam rerum cognitionem inesse, hisce nugis impediunt et ingratam efficiunt.

*Cedo exempla perfectae Narrationis.*

R. Bina Narrationis exempla, retuli in Capite XV primae partis, quae in hunc locum revocanda censeo. Altera enim est Narratio orationis pro Milone, qua nil perfectius inveniri potest: altera orationis pro Discipulis Patavinis ad normam illius Tullianae a Commenduno expressa. His addam et narrationem orationis pro Ligario in genere judiciali, et in deliberativo alteram orationis Alberti Lollii ad Paulum III. Pontificem Maximum, ut Carolo V. Imperatori adesset, qui bellum in pessimos catholici nominis hostes parabat.

I. Quintus igitur Ligarius, cum esset adhuc nulla belli suspicio, legatus in Africam cum Proconsule C. Considio profectus est; qua in legatione et civibus et sociis ita se probavit, ut decedens Considius provincia, satisfacere hominibus non posset, si quemquam alium provinciae praefecisset. Itaque Q. Ligarius, cum diu recusans nihil profecisset, provinciam accepit invitus: cui sic praefuit in pace, ut et civibus et sociis gratissima esset ejus integritas, et fides. Bellum subito exarsit; quod qui erant in Africa, ante audierunt geri, quam parari. Quo audito partim cupiditate inconsiderata, partim caeco quodam timore, primo salutis causa, post etiam studii sui, quaerebant aliquem ducem. Tum Ligarius domum spectans, et ad suos redire cupiens, nullo se implicari negotio passus est. Interim P. Attius Varus qui Praetor Africam obtinuerat, Uticam venit. Ad eum statim concursum est. Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium, si illud imperium esse potuit, quod ad privatum, clamore multitudinis imperitae, nullo publico consilio deferebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paullum adventu *Vari* conquievit. Adhuc, C. Caesar, Q. Ligarius omni culpa vacat. Domo est egressus non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere. Num igitur remansio? multo minus. Nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam. Ergo haec duo tempora carent crimine; unum cum est legatus profectus; alterum cum efflagitatus a provincia, praepositus Africae est. Tertium est tempus quo post adventum Vari in Africa restitit. Quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc ullo modo evadere, Uticae potius, quam Romae, cum P. Attio, quam cum suis maluisset? cum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset propter incredibilem quemdam fratrum amorem, hic aequo animo

esse potuit belli dissidio distractus a fratribus? Nullum igitur habes, Caesar, adhuc in Q. Ligario signum alienae a te voluntatis.

II. Cominciò a sorger la setta Luterana l'anno di nostra salute 1517, nel qual tempo agevol cosa sarebbe stata, nella maniera medesima che si fece già quella d'Arrio, quella di Dioscoro, quella di Nestorio, l'estinguerla in tutto. Ma avendo ella acquistato continuamente nuove forze ed appoggi maggiori, col suo veleno corrotta non pur la Sassonia e la Svevia, ma quasi la Germania tutta, ardisce ora di provocare all'arme Cesare suo Signore. Di che però non dobbiamo punto maravigliarci, essendochè una piccola e debile scintilla, ha spesso generato grandissimi incendi. Vedesi il somigliante avvenire di tutti i mali, i quali se nel principio colla debita diligenza non sono curati, in poco tempo dell'acquistato lor vigore fanno altrui pentire. Così le cose di quell'illustre e veramente generosa provincia sono oggi a tal termine di confusione e ruina condotte, che non si può più loro con altro mezzo, che per via dell'arme, sperar di rimediare. Però se alta deliberazione e al furore di costoro presto non si resiste, veggio ogni cosa in breve sottoposta alle voglie loro. Ed ecco aprirsi una larghissima strada all'insaziabile rapacità del fier nemico della nostra religione: il quale altro non brama, e ad altro non attende, che di vedere a questo modo la Cristianità disunita: sperando fermamente per mezzo di questi disordini, poter tuttavia più accrescere l'impurissimo imperio suo. Così per le discordie di Boemondo e Tancredo prima, e poscia degli altri, furono i nostri dal Saladino scacciati dall'Asia; e il Sepolcro di Cristo, vero Salvator nostro, un'altra volta tornò nelle forze degl'infedeli. Così guerreggiando coi Paleologi i Cantacusini, entrò il primo Amurate in possessione di una gran parte della Grecia. Così non si accordando fra loro nelle cose della Religione i principi Occidentali, Sultan Macometto si fece padrone di Costantino-

poli, speguendo insieme il nome e la gloria dell'imperio orientale. Così a nostri giorni il superbissimo Solimano ha espugnato Belgrado, preso Modone, vinto Rodi, saccheggiata, arsa e distrutta l'Ungheria. Sicchè mentre i Cristiani fra lor combattono, si perseguitano e si consumano, egli trionfa e se ne ride, aspettando senza fallo di riportar dell' ambizione e pazzia loro opima vittoria. Laonde chiunque stima o consiglia che si possa o debba indugiar più a far provisione ai tumulti di questa guerra non merita di esser chiamato nè forte, nè savio, nè Cristiano. ecc.

*Agesis, si in promptu est, exemplum expositionis proferas.*

R. Unum tantum, sed quod sat erit, italicum proferam ex oratione Alberti Lollii = *de utilitate aemulationis ad artes quasque assequendas.* = Orator exordio absoluto postquam sibi dicendum de aemulatione ad bonas artes scientiasque obtinendas proposuit, sic rem omnem exponit.

Dell' Emulazione adunque, dottissimi accademici, oggi intendo di ragionare; materia, s' io non m' inganno, propria di questo luogo; la quale se, come spero, sarà da voi benignamente ascoltata, diletto, e frutto grandissimo è per apportarvi. Ed acciocchè il mio ragionamento sia tanto più chiaramente da tutti inteso; dirò con Aristotile, che l' Emulazione è un certo dispiacere, causato in noi dal vedere, che i nostri pari posseggano beni onorati: i quali essendo sufficienti a poter conseguire, giudichiamo che convengano ancora a noi. Nasce cotal dolore, non da odio, o malevolenza, perciò che coloro abbiano i detti beni; ma perchè similmente noi non gli abbiamo. Laonde è manifesto, l' Emulazione essere affetto buono e lodevole, che essendo desiderio d' acquistar la virtù, è proprio degli uomini di magnanimo cuore: siccome è rea cosa, e fra malvagi e vili s' annida, l' invidia. Conciosiacchè l' emu-

lo, confidando nel suo valore, col mezzo delle buone operazioni s' ingegna di pareggiare, e di trapassare quelle persone, che sono ornate di virtuose qualità; e così guadagnarsi gli onori e beni desiderati. L' invidioso, vedendosi a tale imprésa impotente, con tutte le arti e macchine sue sforza d' impedire che il prossimo non gli ottenga. L' emulo ama e riverisce le virtù e buone condizioni di colui ch' egli emula; studiandosi d' imitarle, di farsi a lui più che può simigliante. L' invidioso ha in odio, e s' attrista della felicità e comodi altrui, cercando di privarnelo, purchè possa. Gli altri affetti muovono l' animo ad ira, odio, vendetta, timore, e simili; l'Emulazione incitandoci continuamente all' acquisto della virtù, ne fa tuttavia diventare più studiosi, più industriosi, e migliori. Imperciocchè, vedendo la negligenza odiata e biasimata, l' industria lodata ed onorata da tutti, si accende in noi un desiderio ardentissimo di onore e di laude: il quale giorno e notte ne invita e spinge sempre a fare opere degne della posterità. A questo avendo riguardo coloro, che hanno cura di ordinare i publici studi, per legge irrevocabile determinarono, che ciascuna scienza ed arte avesse i suoi concorrenti: considerando, che non è cosa che abbia maggior forza per fare altrui svegliar l' ingegno, sprezzar la fatica, ed aguzzar l' industria, che l' Emulazione, sostenuta dalla speranza di dover senza fallo acquistare una onesta laude.

*Velim dicas de praeparatione quam nonnulli praemissam narrationi volunt.*

R. Sunt qui praeparationem aliquam sive praemunitionem narrationi praemittunt, quae viam sternat, aditumque faciliorem aperiat, ita ut audientes paratis animis rem omnem accipiant. Haec haud semper necessaria est, neque ullo debet artificio occultari: sed aperte potius declarandum est quod narraturi sumus, ut admoniti huc animum mentemque intendant qui

audiunt, intelligantque hinc judicium omne duci oportere. Ita Cicero in oratione pro Quinctio praeparatione utitur.

Id quo facilius facere possitis, dabo operam ut a principio res, quemadmodum gesta, et contracta sit, cognoscatis.

Et pro Lege Manilia.

Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur: bellum grave, et periculosum vestris vectigalibus, atque sociis a duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate, et Tigrane.

*Quid denique dicendum de egressione quam nonnulli Rhetores narrationi subijciunt?*

R. Cum orator, rebus expositis quae in narrationem incidant, ad animos sive recreandos sive commovendos, ab eo quod proposuerit digreditur, egressionem, vel digressionem facit. Sed non solum post narrationem locum habere dicemus, sed etiam vel post confirmationem, vel post refutationem. Hujusmodi sunt laudes hominum, locorumque, descriptiones locorum, quarumdam rerum gestarum vel quasi gestarum expositiones: ut laus Siciliae in actione 4. in Verrem, Proserpinae raptus in 6, et in oratione pro L. Cornelio popularis illa virtutum Cn: Pompeii commemoratio. » *Ego autem*, ait Fabius, *confiteor hoc expatiandi genus non modo narrationi quidem, sed etiam quaestionibus vel universis, vel interim singulis opportune posse subjungi, cum res postulat, aut certe permittit.* » Cavendum tamen erit ne dilatis diutius dicendi voluptatibus, oratio refrigescat, inanemque declamationis speciem assumat. Laudabo itaque si non semper fiat nec diutius producatur egressio: nihil

enim tam est consequens quam narrationi probatio: et si decursum facias, velim vel quasi narrationis finis, vel quasi initium sit confirmationis. Sed de narratione sat copiose disseruimus: nunc ad confirmationem veniamus.

## CAPUT X.

### DE CONFIRMATIONE

### ET SEDIBUS ARGUMENTORUM

*Quid est Confirmatio?*

R. « *Confirmatio est per quam argumentando nostrae causae fidem et auctoritatem et firmamentum adjungit oratio.* » Quare recte affirmare possumus esse partem orationis in qua firmamenta et robora causae afferuntur.

*Quot sunt Confirmationis partes?*

R. Duae. 1: Est Confirmatio proprie dicta in qua ea quae pro nobis sunt; firmamus ac stabilimus. 2: Est confutatio in qua contrarias adversariorum rationes refellimus. Hinc liquet Confirmationem esse praecipuam ac potissimam orationis partem; quae quasi viscera, vitamque illius continet. Tota spes vincendi, ratioque persuadendi, inquit Tullius, posita est in Confirmatione et Confutatione. Nam cum argumenta nostra exposuerimus, contrariaque dissolverimus, absolute nimirum munus oratorium confecerimus.

*Quid praestandum est in Confirmatione?*

R. Quatuor praecipue praestanda sunt: 1. ut apta argumenta ad confirmandum, et ad refellendum inveniamus. 2. ut opportune atque ordine disponamus:

3. ut lucide exponamus: 4. ut contraria refutemus. Haec singillatim more nostro nunc exponenda curabimus.

*Quid est argumentum?*

R. Est probabile inventum ad faciendam fidem: ut si probare velis expetendam esse Rhetoricam, invenies, quod sit ars bene dicendi.

*Undenam sumuntur argumenta?*

R. Sumuntur ex locis oratoriis, quos Tullius appellat *argumentorum sedes, in quibus latent, et ex quibus sunt expromenda.* Quapropter si vis orator esse, in promptu tibi esse debent loci illi, et, ut ita loquar, ad manum; ut in illis uberrimam argumentorum segetem invenire possis. Hanc Rhetoricae partem quae tota est in argumentis, Inventionem veteres appellabant: recte quidem: nam nil aliud inventio est quam excogitatio argumentorum, quae valeant tum ad fidem faciendam, tum ad motus excitandos.

*Quot sunt genera locorum?*

R. Duo: alii enim petuntur ab ipsa re, et idcirco vocantur *intrinseci*, seu in re eadem insiti; alii sunt extra ipsam rem de qua quaestio est, unde etiam vocantur *extrinseci* seu *remoti.* De utroque genere, ac de primo praesertim, quod majus quoddam momentum habet ad eloquentiam, accuratissime hoc loco tractabimus.

## CAPUT XI.

### DE LOCIS INTRINSECIS

*Quot sunt loci intrinseci?*

R. Sexdecim. 1 Definitio. 2 Enumeratio partium. 3 Notatio. 4 Conjugata. 5 Genus. 6 Forma seu Spe-

cies. 7 Similitudo. 8 Dissimllitudo. 9 Contraria. 10. Repugnantia. 11 Adjuncta. 12 Antecedentia. 13 Consequentia. 14 [illegible]usae. 15 Effecta. 16 Comparatio.

## §. I.

### *Definitio.*

*Quid est Definitio?*

R. Definitio est propria, dilucida, et paucis comprehensa verbis rei explicatio; et, ut inquit Tullius: « *Definitio est oratio quae quid sit id, de quo agitur, ostendit quam brevissime* »: vel ut philosophi malunt, *est oratio quae rei naturam explicat.*

*Quomodo fit recta Definitio?*

R. Accipito rei quae definitur genus proximum in quo continetur, deinde addito differentiam ultimam qua a caeteris differt, et optimam habebis definitionem. Indicandum est enim genus, vel species propria, ad quam pertinet, deinde id quod illi unico proprium ac peculiare est, quo ab aliis ejusmodi generis distinguitur. Itaque recte hominem definies *Animal rationale*; in genere enim animantium continetur, a quibus una ratio illum distinguit ac separat. Quod si manca sit, et mutila tua definitio, neque veram differentiam indicet, jure ac merito poterit tibi contingere quod olim Platoni contigit. Definierat aliquando Plato hominem *animal bipes et implume.* Diogenes Cynicus homo dicax et Academicorum irrisor, gallum implumem ac nudum in mediam Platonis scholam projiciens, *En*, inquit, *hominem Platonis.*

*Estne eadem definiendi ratio philosophis et oratoribus?*

R. Longe diversa. Philosophi enim, jejune, breviter, ac sicce definiunt, orator vero liberius et ornatius,

ita ut si oratorium definiendi genus recte appellare velimus, descriptio potius appellari debeat, quam accurata definitio. Quamquam vero oratores descriptione hac saepius utantur, tamen hoc admonitum volumus in causis forensibus nonnunquam nudam philosophorum definitionem perutilem esse: illud enim eloquentiae genus ad convincendum, uti diximus, non ad persuadendum intendit.

*Praebe sodes exemplum oratoriae Definitionis sive descriptionis.*

R. Tullius ut hominem definiret, non sicce, *animal ratione praeditum*, dixit, sed hoc modo descripsit.

Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum esse a summo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis, et cogitationis, cum caetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni coelo atque terra *ratione* divinius? . . . . .

Videre potes hoc loco non ex genere solum et differentia hominem definitum, sed ab excellentioribus animi, mentisque facultatibus, a summo Deo Creatore, et a praestantia rationis.

*Exemplum aliud ex italicis velim.*

R. Salvinius noster ita oratorie definivit, sive descripsit amicitiam.

Non vi ha cosa che alletti ed attragga gli umani intendimenti, quanto la considerazione della natura dell' amicizia. Ella fa essere la generazione nostra placida e compagnevole; e non a guisa delle altre greggi stolida e vile, ma savia civile ed onorata. Mille beneficii da quella a noi vengono, mille soddisfazioni, mille contenti. Nelle prosperità ci accompagna, nell' infelicità non ci abban-

dona; partecipe de' nostri beni, e dei nostri mali fa quelli esser maggiori, questi più lievi a sostenere. Senza l'amicizia, compagnia e radunanza d'uomini sussister non saprebbe, nè cosa veruna, nè famiglia in piedi tenersi; ed il nostro vivere sarebbe più che morte aspro e doloroso, le città boschi, e gli uomini bestie selvatiche diverrebbero.

*Quomodo fit argumentum a Definitione?*

R. Videas licet ab exemplis. Tullius in oratione pro Marcello dum Caesarem in coelum laudibus attollit, ex definitione gloriae declarat sibi multum superesse ut veram gloriam consequatur.

Si rerum immortalium tuarum, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut devictis adversariis Rempublicam in eo statu relinqueres in quo nunc est: vide quaeso ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura quam gloriae. Siquidem gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum. Haec igitur tibi reliqua pars est, ut Rempublicam constituas, eaque tu in primis cum summa tranquillitate et otio perfruare; tum te, si voles cum et patriae quod debes solveris, et naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito.

Paulus Segnerus in concione IV a definitione famis ostendit homines; haud verbum Dei esurire.

É la fame un appetito acutissimo, il quale ha questo di proprio, che rende l'animale sollecito a procacciarsi il desiderato ristoro; e così non lascia posare nè i cervi, benchè timidi, ne' loro antri; nè i capri, benchè imbelli, nelle loro tane; e fa che infino gli uccellini medesimi, abbandonando con gravissimo rischio gli amati nidi, calino in terra, e qui si espongano per un vil grano di miglio a dar nelle panie di mille cacciatori insidiosi, che quasi taciti ladroncelli gli attendono ad un boschetto. Che dite dunque? Pare a voi di aver veramente una fame ansiosa della parola divina, mentre

neppur ella è bastevole a trarvi, se non di rado, dai vostri tetti, e condurvi in luogo sì splendido, sì sicuro, qual è la Chiesa, dove nessuna violenza temer potete nel provvedervi di cibo, nessuna insidia, nessuno insulto, anzi nessun dispendio, per minimo ch'egli sia?

*Quot modis fieri solet descriptio sive definitio oratoria?*

R. Tribus potissimum. 1. Per partes ex quibus res ipsa constat: ex. gr.

Optimus est orator, qui dicendo animos audientium et docet et delectat et permovet. Docere debitum est, delectare honorarium, permovere necessarium. Is igitur in quo omnia summa, erit orator peritissimus, in quo media mediocris, in quo minima deterrimus. ( *Cicero de Orat.* )

2. Fit per negationem. Ita pro Sextio Tullius definit optimates.

Omnes optimates sunt qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti.

3. Fit denique per negationem et affirmationem, cum nempe primum dicimus quid non sit res, ut deinde melius intelligatur quid sit: et haec definiendi ratio Ciceroni perfamiliaris fuit. Ita Pisonem probat non fuisse Consulem, definiendo Consulatum, primo negando illum positum esse in lictoribus, in toga, praetexta, caeterisque magistratus insignibus: deinde affirmando illum esse positum in virtutibus.

Tu etiam mentionem facies consulatus tui? aut te fuisse Romae Consulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in toga, et praetexta esse consulatum putas? quae ornamenta etiam in Sexto Clodio, te Consule, esse voluisti? Hujus tu Clodiani canis insignibus consulatum

declarari putas? Animo Consulem esse oportet, consilio, fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus.

## §. II.

### *Enumeratio partium.*

*Quid est Enumeratio partium?*

R. Enumeratio partium, teste Tullio, est rei in singulas partes apta quaedam distributio; et ut lucidius loquamur; est oratio qua totum in suas partes distribuitur; unde locus ille vocatur etiam distributio: ut si distribuas ac dividas vitam humanam in pueritiam, adolescentiam, virilem aetatem, et senectutem.

*Quae sunt regulae ac leges Enumerationis partium?*

R. Tres praecipuae. 1 Regula haec est: affirmatis omnibus partibus, affirmatur totum. Ita Tullius probat Pompejum esse summum Imperatorem, omnes et singulas optimi Imperatoris virtutes sic enumerando.

Ego enim existimo in summo Imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.

Pergit deinde, et quatuor haec in suo Pompejo summa esse sic probat.

Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit, aut esse debuit, qui e ludo atque pueritiae disciplina, bello maximo atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atque in militiae disciplinam profectus est?

Deinde de ejus justitia.

Cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuidam pacato nocuisse dicatur.

Et de temperantia sic loquitur.

Non avaritia ab instituto cursu ad praedam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amoenitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem.

Et Albertus Lollius in funere Marci Pii, hominis totam vitam miseriis obnoxiam per partium Enumerationem hoc modo demonstrat.

Eccolo (*de homine loquitur*) nell' infanzia nella quale in densissime tenebre vivendo, non ha conoscimento di sè medesimo, nè d' alcun'altra cosa ch' egli si vegga ed oda. Entra nella puerizia, e quivi comincia un poco ad aprir gli occhi dell' intelletto, ed a discernere il bene dal male, dove la vergogna ed il timore de' suoi maggiori non gli lasciano godere i piaceri e le ricreazioni della vita. Perviene alla gioventù, nella quale egli è stimolato da diversi appetiti, e molti nojosi pensieri gl' interrompono la quiete dell' animo. In ultimo giunge alla vecchiezza. Ohimè, ohimè da quante varietà di mali, da quanti incommodi, e da quante noje viene ella accompagnata!

*Quaenam est secunda regula?*

R. 2.ª Regula haec est, ut negatis omnibus et singulis partibus, negetur totum. Sic probat Tullius, enumeratis ordinibus, Populo Romano pacem cum Antonio esse non posse (Philipp. 3).

Quae potest esse pax cum Marco Antonio primum cum Senatu? quo ille ore vos poterit, quibus vicissim vos illum oculis intueri? Quis vestrum non oderit? Age vos ille solum, et vos illum? quid? ii qui Mutinam circumsedent, qui in Gallia delectus habent? qui in nostras fortunas imminent, amici unquam nobis erunt, aut nos illis? An equites romanos amplectetur? Occulta enim fuit eorum voluntas, judiciumque de Marco Antonio: qui frequentissimi in gradibus Concordiae stete-

runt, qui vos ad libertatem recuperandam excitaverunt, arma, saga, bellum flagitaverunt, me una cum Populo Romano in concionem vocaverunt. Hi Antonium diligent? cum his pacem servabit Antonius? Nam quid de universo Populo Romano dicam? qui pleno ac referto Foro bis me una mente, una voce in concionem vocavit, declaravitque maximam libertatis recuperandae cupiditatem etc.

Ita Joannes Boccaccius negat describi posse res gestas cujusdam aetatis suae hominis.

A quante battaglie si trovò egli? quante schiere ordinò egli? quante fuggenti ne sostenne? quanti eserciti dei nemici sconfisse? quanti ne ha già menati prigione? quali rapine, quali prede, quali spoglie, quali segni militari si fece portare innanzi? quali campi dei nemici prese? quali province sottomise? dicalo egli: dicalo un altro; io niuna ne udii. Che dunque scriverò?

*Cedo ultimam regulam Enumerationis partium.*

R. Ut negatis remotisque nonnullis partibus, reliquae necessario affirmentur. Ita Tullius postquam negasset Antonium consulem esse bonorum sententia, malorum sententia tantum esse ostendit.

Negat hoc D. Brutus Imperator, Consul designatus, natus Reipublicae civis; negat Gallia, negat cuncta Italia: negat senatus: negatis vos. Quis igitur illum Consulem, nisi latrones putant?

Et Boccaccius pari modo negat discessionem suam Neapoli fugam fuisse.

Ma perchè doveva io fuggire? Aveva io posto innanzi a Tieste mangiando a mensa i figliuoli tagliati e cotti? Aveva io nascostamente di notte a' Greci aperte le porte di Troja? Aveva io nel vaso d'oro posto il veleno ad Alessandro di Macedonia domatore di Asia? O aveva fatta alcuna altra cosa fuori di regola? No veramente. Dal sozzo giogo avea sottratto il collo. Qui che c'è di male?

Hoc unum addam, animadvertendum esse ut singulis partibus totum respondeat; neque ulla praetermittatur pars, ut robur et vim habeat argumentum.

*Num alius est Enumerationis usus apud oratores?*

R. Frequentissimus est in amplificationibus enumerationis usus: valet enim ad res ipsas sive aperiendas, sive nobilitandas: tum quod omnino pandit et evolvit, tum quod veluti repetitis ictibus penetrabiliores efficit. Quintus Capitolinus apud Livium Plebem Romanam ita redarguit, ostendens per enumerationem senatum omnem lapidem frustra movisse, ut sibi illam conciliaret. Vide quantum roboris ac virium haec sententia a partium enumeratione accipiat.

Proh! Deum fidem quid vobis vultis? Tribunos plebis concupistis: concordiae causa concessimus. Decemviros desiderastis: creari passi sumus. Decemvirorum vos pertaesum est: coegimus abire magistratu. Manente in eosdem privatos ira vestra, mori, atque exulare nobilissimos viros honestissimosque passi sumus. Tribunos plebis creare iterum voluistis: creastis. Consules facere vestrarum partium, etsi Patribus videbatur iniquum, patricium quoque magistratum plebi donum fieri vidimus. Qui finis erit discordiarum? Ecquando unam urbem habere, ecquando communem hanc esse patriam licebit? Victi nos aequiore animo quiescimus, quam vos victores. In nos viri, in nos armati estis.

Segnerus noster ita illustrat enumeratione partium sententiam hanc in concione tertia, viros sanctissimos mundano quidem judicio nullam honoris famaeque jacturam fecisse, quod inimicis pepercerint.

Benchè, donde inferite voi così gran discapito della vostra riputazione? (perdonando) quasi che nulla si meriti in ciò di credito un Salomone, il quale affermò che ciò piuttosto è di onore: *Honor est homini, qui separat*

*se a contentionibus* ( Prov. 20, 3 ). Perchè le leggi del mondo gridan così? Ma se noi ritroviamo che persone anche nobili più di noi han praticata questa legge medesima del perdono, senza che quindi rimanga contaminata la loro chiarezza, anche in faccia all'istesso mondo, ci sdegneremo di praticarla anche noi? E che? Chiamerete voi dunque infami i Basilii, infami i Nazianzeni, infami gli Atanagi, infami i Grisostomi, perchè ci lasciarono esempj sì memorabili di perdono? Un Gerardo, arcivescovo di Canodia, fu sì mansueto, che mentre alcuni del popolo gli lanciavano sassi, egli loro rendeva benedizioni: per questo egli è infame? Un Ambrogio, arcivescovo di Milano, fu sì pietoso, che somministrò lungamente il vitto ad un traditore, che gli avea tramato rabbiosamente alla vita: per questo egli è infame? Un Acacio, vescovo di Amida, fu sì clemente, che a fine di sostentare alcuni suoi dileggiatori pagani, arrivò fino a struggere i sagri calici: per questo dovrà chiamarsi infame ancor egli? Se questi chiamate infami, infame sarà dunque non meno un principe Carlo Manno, il qual percosso con improvvisa guanciata, in cambio di risentirsi con alterezza, rispose con sommissione: sarà infame un Leone, sarà infame un Zaccaria, sarà infame un Alessandro, tutti e tre sovrani pontefici, de' quali altri a' suoi persecutori salvò la vita, altri donò ricchezze, altri partecipò dignità. Che dite? Chiamerete infami tutti questi uomini, perchè non hanno aderito alle leggi scellerate del mondo, ma ubbidito ai santissimi insegnamenti di Cristo?

## §. III.

### *Notatio nominis et Conjugata.*

*Cur Notationem nominis et Conjugata ad unum caput revocamus?*

R. Ad unum et idem caput duos hosce locos propter affinitatem revocamus. Quamvis porro uterque

ille locus, propter levitatem non adeo valere videatur ad persuadendum, quia tamen non parum valet ad delectandum, et ad orationem lepore aliquo ac sale condiendam, idcirco ab oratoribus interdum summis adhibetur.

*Quid est Notatio?*

R. Notatio seu Etymologia, est locus qui verborum originem, vim et significationem inquirit; et ut cum Tullio definiamus « *Notatio nominis est cum ex vi nominis argumentum elicitur, quam Graeci etymologiam vocant* » idest *verbum ex verbo veriloquium* v. g. *Senatus* nomen traxit *a senibus: Consul* vocatur is qui *consulit* Patriae; ergo Piso consul non est qui eam evertit. Ovidius in Fastis *victimam* sic appellari dicit *a vincendo*, et *hostiam ab hoste.*

Victima quae dextra cecidit victrice vocatur.
Hostibus a domitis hostia nomen habet.

*Quomodo uti possumus Notatione nominis?*

R. Ex hac nominis interpretatione plura ducuntur argumenta. Nequis putet inopem esse hunc locum, et exiguiorem dicendi copiam quam ex aliis ex eo manare posse tum ad vim, tum ad orationis ornatum. Hoc exemplum quod ex Catone Majore M. T. Ciceronis subjicimus, rem aperte monstrabit.

Neque enim ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam coetu amicorum, et sermonibus metiebar. Bene enim majores nostri accubationem epularem amicorum, quia vitae conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius quam Graeci, qui hoc idem tum compotationem, tum concoenationem vocant. Ut quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur.

Et Passavantes noster ita a nominis Notatione quid sit contritio declarat.

Contrizione si dice da *tritare:* come noi veggiamo in queste cose corporali, che alcuna cosa si dice *tritata*, quando si divide e rompe in minute parti, sicchè non vi rimanga niente del saldo; così il cuore del peccatore, il quale il peccato fa duro, intero ed ostinato nel male, quando ha sufficiente dolore, o dispiacere del peccato, quasi si rompe e *trita* in tal maniera, che l' affetto del peccato non v' ha più parte, nè luogo veruno dove possa rimanere.

*Quandonam potissimum utendum est Notatione nominis?*

R. Quando in nomine aliquo laudem vel dedecus, aut jocum aliquem non scurrilem aut mimicum, sed liberalem, et urbanum invenit orator. Sic in nomen *Verris* jocose lusit Cicero, quasi ita dictus fuisset quod omnia *verreret*, hoc est omnia raperet homo furacissimus:

Quam tu, *inquit*, domum, quod fanum adisti, quod non eversum atque extersum reliqueris?

Sic etiam Chrysogonum in avaritiae suspicionem vocavit ab ipsius nomine, quod *aureum* significat, aut quasi *auro genitum*.

In sacris literis magnam quamdam vim habet Notatio nominis; quod nempe nomina bene multa vel a Deo ipso fuerint imposita, ut cum Christus ait ad Petrum:

Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo ecclesiam meam.

vel latentem quemdam habeant, ac mysticum sensum. Hinc Sancti Patres hunc locum usurpant persaepe v. g. cum ait D. Hieronymus ad Heliodorum. *Interpretare vocabulum Monachi. Quid facis in turba, tu qui solus es?*

*Quid sunt Conjugata?*

R. Sunt ea quae ab uno orta vocabulo varie conjuguntur, seu commutantur, ut *Sapiens, Sapientia, Sapienter*: *Imperium, Imperator, Imperare,* quae sunt finitima Notationi. Ex hoc Conjugatorum loco Caesarem ingeniose admodum ita laudat Tullius in oratione pro Marcello.

Caeteros quidem omnes *victores* bellorum civilium, jam ante aequitate, et misericordia *viceras:* hodierno vero die te ipsum *vicisti* ... Nam cum ipsius *victoriae* conditione *victi* omnes occidissemus, clementiae tuae judicio *conservati* sumus. Recte igitur unus *invictus es,* a quo ipsius etiam *victoriae* conditio, visque *devicta* est.

Ad eumdem locum pertinet illud in Pisonem.

Cum enim esset omnis causa illa mea *consularis* et *senatoria,* auxilio mihi opus erat, et *Consulis*, et *Senatus.*

Est et illud Terentianum elegans in primis in hoc eodem genere.

*Homo* sum: *humani* nihil a me alienum puto.

Et Albertus Lollius in sua oratione de Pompis.

O tempi, o costumi! *tempi* dico *intemperantissimi*, e *costumi scostumatissimi,* degni veramente di una buona riforma e di molto severa correzione.

## §. IV.

### *Genus et Species, seu Forma.*

*Quid est Genus, quid Species?*

R. Genus est notio ad plures differentias pertinens, ut docet Tullius. Apud Rhetores vero genus dicitur

illud quod est commune multis, et quod multa sub se complectitur: ut virtus sub se continet justitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam. Species seu forma est id quod minus late patet; seu res particularis quae sub universali continetur; et ut cum Tullio loquar, *forma est notio cujus differentia ad caput generis, quasi ad fontem referri potest.* Vocatur autem apud Rhetores Hypothesis v. g. *virtus est amanda,* est genus sive Thesis: *temperantia hic et nunc est in convivio servanda,* en species sive Hypothesis.

*Qua potissimum ratione ex Genere argumentum ducimus?*

R. Dicimus duci argumentum ex genere cum de specie disputantes ad genus confugimus; seu ut vulgo loquuntur cum Hypothesis revocatur ad Thesim. Hujusce loci luculentum habes exemplum in oratione pro Archia poeta, ubi Cicero cum laudandum Archiam magistrum suscepisset ( quod est Hypothesis, ) rem ad Thesim revocavit; hoc est Poesim et studia humanitatis generatim et universe laudavit, ut latiorem orationi suae campum aperiret. Adverte igitur, quo artificio ab Hypothesi transit ad Thesim.

Sit igitur sanctum apud vos humanissimos homines, hoc poetae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa et solitudines voci respondent: bestiae saepe immanes cantu flectuntur, atque consistunt: nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt. Ergo illi alienum quia poeta fuit post mortem etiam expetunt: nos hunc vivum qui et voluntate, et legibus noster est, repudiabimus?

*Affer sodes exemplum italicum in quo a Specie ad Genus fiat transitus.*

R. Benedictus Buonmattei ita a genere nobilitatem italici idiomatis attollit.

È senza fallo segno di non piccola nobiltà e ricchezza in tutte le cose create lo splendor dell' origine, giacchè l' universal consenso degli uomini è sempre stato che nobile possa dirsi, quel che da buon genere scaturisce. Attalchè quand' e' si può provar che una lingua derivi da un' altra nobile, e quella dovrà dirsi nobile, se già ella non degenerasse dalla sua ragguardevole origine. Come avviene appunto degli uomini che nascendo di nobil famiglia, son tenuti da tutti nobili, finchè per qualche proprio demerito non perdon la nobiltà, o che da qualche operazione poco degna non resti la chiarezza loro oscurata. Perchè nobiltà non è altro che un continuato possesso d' onori e ricchezze, come piace al filosofo. E se quest' é, vedete di quanta nobiltà potrà lodarsi la nostra lingua. Ella riconosce in gran parte l' origin sua, come pare a più e più dotti, dalla latina, e in buona parte ancora dalla greca, le più nobili, le più pregiate, le più maestose e le più venerande che sieno state giammai.

*Quod vitium in Genere tractando vitandum est?*

R. Hoc loco solent intemperantius abuti Tyrones, dum thesim longius trahunt, quod nempe res sit communis faciliorque, et multorum trita vestigiis: v. g. si de justitia, vel de charitate sermo sit, illi sese in virtutis laudes universe ac generatim effundunt, et miseram crambem, ut ajunt, taedio affectis auribus ad fastidium usque ac satietatem ingerunt. Tu igitur si sapis hoc vulgare vitium fugies;

*Nec circa vilem patulumque moraberis orbem.*

Hic locus tantum affert commodi oratoribus, ut Tullius doceat excellentis oratoris esse quod venit in contro-

versiam de parte, hoc est quod de specie disserendum est, ad suum genus referre. Latior quidem de genere quam de parte disputatio est, et tutior: quod enim in Hypothesi probatum est, in Thesi quoque probetur necesse est.

*Quomodo a Specie duci possunt argumenta?*

R. Argumentum a rebus singularibus (sive a specie aut forma) ducitur cum sermo sit de genere, et nos in partes, hoc est in speciem, dilabimur. Quod duobus fit modis: aut enim, ubi sit species ibi et genus esse argumentamur, aut quae in genere dicenda sunt, in specie ostendimus: v. g. *in hoc justitia patet, ergo a virtute non abhorret.* Alter modus ad enumerationem partium referri potest.

*Cedo exempla argumenti a Specie deducti.*

R. In promptu sunt. Tullius in oratione pro Archia, ita singulis partibus enumeratis, adversarii petitiones eludit.

Hic tu tabulas desideras Heracliensium publicas, quas italico bello incenso tabulario, interiisse scimus omnes. Est ridiculum ad ea quae habemus, nihil dicere, quaerere quae habere non possumus: et de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare; et cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum fidemque ea, quae depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas quas idem dicis solere corrumpi, desiderare.

Et Joannes Casa in oratione ad Carolum V. de restitutione Placentiae demonstrat Imperatorem magnam gloriam assecutum esse ab ipsa calamitate, de qua ne hostes quidem gaudere sunt ausi.

Nè i vostri nemici medesimi erano arditi di rallegrarsi della vostra dissavventura, nè il vostro pericolo aver

caro; del quale poichè la felicissima novella venne chè V. M. era fuori, niuna allegrezza fu mai sì grande nè sì conforme egualmente in ciascuno, come quella che tutti i buoni insiememente sentirono allora. Sì fatto privilegio hanno, S. M. le giuste opere, e magnanime che esse sono eziaudio nelle avversità felici, e nelle perdite utili, e nei dolori liete e contente.

## §. V.

### *Similitudo et Dissimilitudo.*

*Quid est Similitudo?*

R. Similitudo est rerum caeteroqui disparium collatio, atque convenientia in aliqua re; v. g. est similitudo inter avarum et hydropem; quia licet avarus et hydrops sint duae res longe diversissimae, in eo tamen conveniunt, quod neuter satiari possit. Item homo iratus et leo rugiens sunt duae res valde inter sese dispares, quae tamen in aliqua re conveniunt, nempe in furore. Sic etiam umbra et gloria sunt res diversissimae: in hoc tamen conveniunt, quod umbra corpus, gloria virtutem comitetur: unde ait Cicero: *gloria est umbra virtutis.*

*Quomodo fit argumentum a Similitudine?*

R. Facies in hunc fere modum cum Tullio.

Ut quidam morbo aut sensus stupore, cibi suavitatem non sentiunt: sic libidinosi, avari, facinorosi verae laudis gustum non habent.

Sic etiam argumentari poteris a simili cum eodem Tullio.

Ut si parvo puero gladium, aut si imbecillo seni aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat; sin ad nudum vel fortissimi viri corpus accesserit, possit acie

ipsa et ferri viribus vulnerari; ita cum hominibus enervatis atque exanguibus consulatus, tamquam gladius, esset datus, qui per se pungere neminem unquam potuissent, ii summi imperii nomine armati Rempublicam trucidaverunt.

Et Segnerus noster a similitudine eorum, qui in hyeme domum sibi aedificant brevi dilapsuram, ostendit divitias male partas quam citissime evanescere.

Se voi vi abbiate a fabbricare, uditori, qualche edifizio, non credo io già che vi porrete a fabbricarlo nel cuore di un crudo verno, ma aspetterete alla state, e qualunque altra stagione voi sceglierete più volentieri di quella ch' è la più aspra. E per qual cagione? perchè gli edifizj fabbricati di verno non sono durevoli. I ghiacci istupidiscono la calcina, le piogge ammollan la sabbia, e così i sassi non possono tra loro fare alta presa. Or sapete voi ciò che sia fabbricarsi la casa con l' oro altrui? È fabbricarla di verno........ Voi fabbricate di verno. Cristiani miei, voi fabbricate di verno. Però fermatevi, altrimenti la casa farà poi pelo, crollerà, caderà, precipiterà, e tutte queste saranno state fatiche gittate al vento.

*Quid Dissimilitudo?*

R. Est oratio quae ex re dissimili dissimile colligit; ut cum ait Tullius:

Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.

Et in libro 1. de Oratore:

Artes reliquae ab eloquentia differunt, quod haec non habeat definitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur. Caeterae vero artes suis se certis quibusdam finibus contineant.

Et pro Archia:

Nam caeterae artes neque temporum sunt, neque aetatum omnium, neque locorum. Haec studia literarum adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium et solatium praebent: delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Et Albertus Lollius in laudibus Eloquentiae ita a dissimilitudine argumentatur:

Siccome per la ragione, e per la favella principalmente siamo differenti dalle bestie, così uomo che sa e può copiosamente, distintamente, ornatamente, secondo il decoro e l' opportunità del tempo, del luogo, de' negozii, e delle persone discorrere, e ragionare di qualunque materia, non solo di grado, di autorità e di merito avanza tutti, gli altri, ma è temuto, onorato, riverito come un Dio.

## §. VI.

### *Contraria et Repugnantia.*

*Quid sunt Contraria et Repugnantia?*

R. Sunt ea quae in eodem subjecto esse non possunt, vel si fuerint in eodem, necessario inter se pugnant. Quoddam quasi amphitheatrum est hic locus, in quo pugnantium inter se argumentorum vis et robur enitescit. Quatuor omnino sunt Contrariorum genera: nimirum 1. adversa, 2. relata, 3. privantia, 4. contradicentia.

*Quid sunt adversa?*

R. Sunt ea quae in eodem plurimum inter se differunt, ut *virtus* et *vitium*, *bellum* et *pax*, *sapientia* et *stultitia*. Sic autem argumentari poteris ab adversis cum Tullio:

Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur, et bonitatem si malitiam.

Ita etiam Quintilianus:

Malorum causa bellum est; erit emendatio pax.

*Quid sunt relata?*

R. Sunt ea quae se invicem, ita respectant, ut alterum sine altero esse non possit; ut *pater et filius; dux et miles; magister et discipulus; dominus et servus; qui dat et qui accipit.* Ex hoc loco Caesarem ita laudat Cicero in oratione pro Marcello.

Ex quo profecto intelligi debet, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria.

*Quid sunt privantia?*

R. Sunt habitus et ejus privatio, ut *vita et mors; lux et tenebrae; scientia et inscitia; paupertas et divitiae.* Ita Cicero in Oratore.

Cur autem discere turpe est, quod scire honestum est? aut quod noscere pulcherrimum est, id non gloriosum docere?

*Quid sunt contradicentia?*

R. Sunt ea quorum alterum negat, alterum affirmat idem de eodem.

Ut Milo insidiatus est Clodio. Milo non est insidiatus Clodio.

*Quomodo a Contrariis argumentamur?*

R. A contrariis triplici modo argumentari solet; vel enim altero affirmato, alterum negamus, vel contra altero negato, alterum affirmamus, vel denique eadem argumentamur ratione qua ab omni dissimili.

*Ex*: *gr*: Quid? cum fatentur satis magnam vim esse in vitiis ad miseram vitam, nonne fatendum est, eamdem vim in virtute esse ad beatam vitam? (*Cicer. in Tusc.* 5. 17.)

*Affer illustriora exempla ex quibus latius pateat ratio argumentandi a Contrariis.*

R. Mandata exequar. Tullius ostendens Milonem comitiorum tempore manus in Clodii sanguine non scelerasse, cum interficiendi copiam alio tempore habuerit, et facinus exequi noluerit; hoc modo a Contrariis argumentatur.

Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?

Et Paulus Segnerus a magnitudine misericordiae ita justitiae magnitudinem declarat in Concione XIV. §. 2.

La misericordia e la giustizia sono, come ognuno sa, le due mani colle quali Iddio regola l'universo. Convien però, che queste mani tra loro sieno egualissime (se noi per Dio non vogliamo fingerci un mostro), e così del pari deon essere poderose nell'operare, del pari infaticabili, del pari maravigliose. Or chi non sa, che adoperando Dio la misericordia, ha fatte azioni di gran lunga maggiori d'ogni credenza? Perchè non solo egli è arrivato a tollerare pazientemente le ingiurie da uomicciuoli vilissimi, sostentandoli, favorendoli, accarezzandoli in quel medesimo tempo ch'essi più protervi attendevano ad oltraggiarlo; ma di più ancora egli è giunto a morir per essi, e d'una morte sì ignominiosa, sì atroce, sì abbominevole, che il creder tanto parve scandalo a molti, a molti follia. Converrà dunque dire, che dove Dio venga ad impiegar di proposito la giustizia, debba far opere egualmente incredibili e portentose: . . . . . . Sicchè, com'egli, quando volle far pompa della misericordia, operò di maniera che sembrò quasi d'esser senza giustizia; così quando voglia far pompa della giustizia, si porti in guisa, che mostri quasi esser senza misericordia.

## §. VII.

### *Adjuncta.*

*Quid sunt Adjuncta?*

R. Sunt ea quae cum re de qua agitur, non necessario sed probabiliter conjuncta sunt.

*Quot sunt Adjunctorum genera?*

R. Tria vulgo numerantur: 1. Adjuncta rei, ut locus, tempus; 2. Adjuncta animi, ut vitia, virtutes; 3. Adjuncta corporis, ut pulcritudo, deformitas, robur, vestis, habitus. Uno verbo omnia quae rem quoquomodo circumstant, sive praecedant, sive comitentur, sive consequantur, appellantur Adjuncta, seu res circumstantes. Unde liquet, quam longe lateque pateat locus iste, et quam uberem dicendi segetem oratori suppeditet.

*Quomodo sumi potest argumentum ab Adjunctis?*

R. Cum ex loco, tempore, facultate, aliisque id genus quae rem circumstant, persuadendi occasionem idoneam captat orator. Sic apud Livium in libro 21. Hannibal Italiam ingressus, militibus suis eloquenter admodum facit animos ex loco unde fugere non liceat.

Dextra laevaque duo maria claudunt. Nullam ne ad effugium quidem navem habemus. Circa Padus amnis, major ac violentior Rhodano; a tergo Alpes urgent, vix integris vobis ac vigentibus transitae. Hic vobis vincendum ac moriendum, milites, est... Nihil usquam nobis relictum est, nisi quod armis vindicaverimus. Illis timidis et ignavis licet esse, qui receptum habent; quos ager suus, quos sua terra, per tuta ac pacata itinera fugientes accipient. Vobis necesse est fortibus viris esse, et omnibus inter victoriam mortem-

que certa desperatione abruptis, aut vincere, aut, si fortuna dubitabit, in praelio potius quam in fuga mortem oppetere. Si hoc bene fixum omnibus destinatumque in animo est, iterum dicam, vicistis: nullum incitamentum ad vincendum homini a Diis immortalibus acrius datum est.

Et Salvinius ab adjunctis Nativitatis D. N. Jesu Christi, admirabilem Verbi aeterni humilitatem, atque ingratum Hebraeorum animum ostendit.

Ben si vede dalla sua nascita, e dalla sua comparsa nel mondo, che confessata e adorata da pochi semplici e uomini di buon cuore, fu dagli altri con superbo occhio e trascurato passata: la notte del suo natale con angeliche melodie festeggiata, e gareggiando, colla sua illuminazione coi giorni più luminosi, accolse in vili e poveri panni, tra vili e sozzi animali, in un vile ed immondo tugurio la Verità ch' era nata. E nel tempo che le bestie medesime l'adoravano, non trovò ella tra gli uomini del paese alloggiamento; di quel paese scelto e destinato da lei fin dai secoli antichi, per sua propria eredità, e sorte, il cui popolo era chiamato popolo di Dio; terra favorita, consolata, benedetta dalle grazie, e dalle meraviglie del cielo.

*Quomodo sumi argumentum potest ab habitu corporis?*

R. Cum, teste Fabio, habitus corporis, qui sermo quidam tacitus mentis est, frequenter in argumentum probitatis, aut improbitatis adducitur. Ita Cicero ab ipso habitu corporis Fannium hominem improbum esse venustissime colligit.

Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam et clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, mendaciis, fallaciis constare totus videtur?

qui idcirco est capite et superciliis semper rasis, ne ullum pilum viri boni habere videatur.

Et summus ille rerum pictor Daniel Bartolus ita hominem ira tumentem ab adjunctis ante oculos ponit, et furenti comparat.

Gli ardono in fronte e gli sfavillano gli occhi: il volto all' avvamparglisi sembra rovente: al bollir che gli fa fin dall' imo del cuore il sangue le labbra inquiete gli tremano: rode a denti chiusi, e scroscia: raccapricciasi e gli si arruffano i capegli: il respirare gli viene intracchiuso e stridente: contorcesi e snodasi, e le giunture gli crocchiano: mugghia, non parla: o se parla, elle son mezze voci interrotte di gemiti: poi il percuotere palma a palma, e col piè batter la terra, e tutto il corpo agitato, e spirante minacce: insomma egli è uno spettacolo d' ugualmente orribile che difforme aspetto, nè sarebbe agevole il definire, se un tal vizio renda più mostruoso (l' uomo) per quel che è dentro, o scontraffatto per quel che n' apparisce di fuori.

Ex quo facile infert iratum hominem furenti simillimum.

*Dicas quaeso sodes praecipua Adjunctorum genera.*

R. Porro memoriae juvandae causa, praecipua octo adjunctorum genera hoc vulgari versiculo fuere comprehensa.

*Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur quomodo, quando.*

*Quis* significat personam, et quae ad illam pertinent, cujusmodi sunt genus, educatio, indoles, aetas, sexus, patria, cognatio, virtus, ingenium. Ita Cicero Sextium defendit, et laudat a genere.

Parente Publius Sextius est natus, Judices, homine, ut plerique meministis, et sapiente, et sancto, et severo.

*Quid* negotium designat, sive rem de qua agitur. *Ubi* locum demonstrat. *Per quos* indicat adiutores et socios, quorum opera facta res est. *Quoties* docet quam saepe res facta fuerit. *Cur* causam et finem designat. *Quomodo* modum ac seriem ostendit rei gestae. Denique *quando* denotat tempus quo gesta res est.

## §. VIII.

### *Antecedentia et Consequentia.*

*Quid sunt Antecedentia?*

R. Sunt ea, quibus positis, necesse est alia consequi; ut ortus est sol; ergo dies est. Tu natus es homo; ergo dubio procul morieris. Ille gravissimi sceleris reus est; ergo gravissime plectetur a justo judice.

*Quomodo ab Antecedentibus argumentari potest?*

R. Videas licet exemplis. Tullius in 2. libro de Oratore probat Carbonem non posse famam boni civis habere.

Non si Opimium defendisti, Carbo, idcirco isti te bonum civem esse putabunt. Simulasse te, et aliud quid quaesiisse perspicuum est: quod T. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti: quod P. Africani necis socius fuisti: quod eam legem in tribunatu tulisti: quod semper a bonis dissensisti.

Ab eodem loco argumentatur in Tuberonem in oratione pro Ligario.

Quis putet esse crimen fuisse in Africa Ligarium? nempe is, qui et ipse in eadem Africa esse voluit, et prohibitum se a Ligario queritur; et certe contra ipsum

Caesarem est congressus armatus. Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum? quae tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas?

Et Segnerus in Concione XV. ab antecedentibus ostendit omnia mala hominibus evenisse, quod verbis Dei fidem non habuerint.

E che si è fatto, cristiani miei, con questa incredulità, se non costringere Dio a fulminar que' gastighi ch' ei minacciava, per non giungere all' atto di fulminarli? Questa incredulità sommerse il mondo scorretto nel diluvio dell' acque, quando non diè fede a Noè che lo prediceva ( *Gen.* 7. ). Questa chiamò sopra i perfidi Sodomiti piogge di fuoco, quando derisero la parola di Lot che lo significò ( *Gen.* 29 ). Questa condusse i contumaci Egiziani a naufragare nell' Eritreo, quando induraronsi a' portenti del Cielo che precederono ( *Exod.* 14 ). Questa condannò innumerabili Israeliti a morir nella solitudine, quando sprezzavano le proteste di Mosè che lo presagiva ( *Num.* 14 ). Questa costrinse debellati gli Assirj a perire sotto Betulia, quando sdegnaronsi della libertà di Achior che la dinunziava (*Judith.* 5, 15 ). E piaccia a Dio che non sia questa, uditori, quella che nel secolo nostro ci fomenta nel seno tante calamità, ci sottopone il dorso a tanti flagelli.

*Quid sunt Consequentia, et quonammodo argumenta ducere possumus a Consequentibus?*

R. Sunt ea quae rem necessario consequuntur. Sic autem argumentum duces a Consequentibus: *est copia fructuum, ergo et florum fuit: cicatricem gerit, ergo vulnus accepit.* Cicatrix enim, et fructus, vulnus et flores consequuntur. Ita Tullius in oratione pro Domo sua ab hoc loco ducit argumen-

tum, ut ostendat Rempublicam in maximo discrimine futuram si patricii omnes in plebis ordinem se inferrent.

Itaque Populus Romanus brevi tempore neque Regem Sacrorum, neque Flamines, neque Salios habebit; nec parte dimidia reliquos Sacerdotes, neque auctores centuriatorum et curiatorum comitiorum, auspiciaque Populi Romani. Si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est, cum Interrex nullus sit, quod et ipsum patricium esse, et a patricio prodi necesse est.

Et Joannes Casa in oratione pro Foedere.

Perocchè se noi non consentiamo alla lega che il Re ne manda proferendo, Sua Maestà senza fallo di due partiti prenderà l'uno, ch'egli o si stringerà col Papa, o con gli Svizzeri, o si darà del tutto al fortificamento del suo regno, ed alla difesa di sè stesso si apparecchierà, e così eziandio faranno gli Svizzeri: e quale ch'egli prenderà di questi due partiti, apporterà a noi gravissimo danno, e gravissimo pericolo. Perciocchè se al Papa e con gli Svizzeri si congiunge, il nostro sospetto fia incontinente raddoppiato: chè dove ora noi temiamo l'*Imperatore* solo e la Lega, raddoppiando la paura, raddoppieremo la spesa e l'affanno.

Quia vero locus ab Antecedentibus, et Consequentibus non maximopere differt ab adjunctis; ideo diutius in illo immorari non est operae pretium.

## §. IX.

### *Causa.*

*Quid est Causa?*

R. Est id unde aliquid est: vel id, vi cujus aliquid fit: ut vulnus est causa mortis, cruditas est

causa morbi. Quadruplex numeratur a Philosophis: 1. efficiens, 2. materialis, 3. formalis, 4. finalis.

*Quid est Causa efficiens?*

R. Causa efficiens est, quae id efficit, cujus est causa. Sic pictor est causa efficiens picturae. Huic subduntur causae *adjuvantes*, instrumenta nimirum et auxilia quibus utitur efficiens ad opus, vel omnino conficiendum, vel facilius, absolutiusque perficiendum. Ad hoc genus etiam pertinent causae quae dicuntur *interimentes*, quae scilicet quidpiam eripiunt v. g. mors vitam, morbus sanitatem. Sed nobis praesertim considerandae, quae penitus voluntariae sunt, quae necessariae, quae a consilio animi, quae a perturbationis impetu gignuntur: his enim maxime orator uti potest.

*Quid est Causa materialis?*

R. Est ea ex qua aliquid fit, aut componitur: ut marmor est materia, seu causa materialis statuae; lapides sunt materia domus; corpus est hominis quasi materia.

*Quid est Causa formalis?*

R. Est ratio rei ac nota per quam res est id quod est; et a rebus aliis distinguitur. Unde anima est forma hominis, quia per animam fit rationalis, et a caeteris animantibus distinguitur.

*Quid est Causa finalis?*

R. Est id cujus gratia aliquid fit; ut finis belli est victoria, et pax, cum propter victoriam et pacem bellum suscipiatur. Beata in caelo vita est causa finalis hominis, quandoquidem homo agit omnia, vel agere debet certe quidem, ut beatam in caelo vitam tandem aliquando consequatur.

*Quomodo argumentari debemus a Causa efficienti?*

R. Sic argumentaberis cum Tullio.

Intemperantia effoetum corpus tradit senectuti; ergo diligenter vitanda est.

Ab hoc loco senectutem contra vituperatores ita defendit idem Tullius.

Caret epulis, ajunt, extructisque mensis, et frequentibus poculis; caret ergo vinolentia, cruditate, et insomniis.

*Quomodo argumentatur a materia?*

R. Ita ferme dices: corpus hominis est mortale; ergo aequum est ut illi dominetur animus immortalis. Ita Cicero in libro de natura Deorum.

Corpus hominis mortale est; ab ejus igitur societate *et* contagione immortalis animus sevocandus est.

*Quomodo sumitur argumentum a Causa formali?*

R. Sic dices: animus hominis est immortalis; ergo mors non est timenda. Excellens est animi natura; ergo voluptatibus servire non debet. Ita Cicero:

Si considerare velimus, quae sit in hominis natura excellentia, et dignitas, intelligemus quam sit turpe diffluere mollitie, et delicate ac molliter vivere: quamque honestum sit, parce, continenter, severe, sobrie.

*Quomodo denique argumentandum est a Causa finali?*

R. Ita probabis cum Tullio insidias Miloni struxisse Clodium, quod nempe multas ex illius interitu sibi polliceretur utilitates.

Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci tam nefaria bellua docere magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte positam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, *cui bono fuerit*, in his personis valeat: etsi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi certe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc assequebatur non modo ut Praetor

esset, non eo Consule quo sceleris nihil facere posset: sed etiam ut his Consulibus Praetor esset, quibus si non adjuvantibus, at conniventibus, certe sperasset se posse Rempublicam eludere in illis suis cogitatis furoribus.

*Velim ex te audire exempla italica argumentationum a Causis.*

R. Albertus Lollius in oratione de Pompis in luxum vestiendi a causa efficiente argumentatur.

Laonde se noi considerassimo che l'origine del vestire venne dal peccato di Adamo, e che quanto più altri s'immerga nelle delizie, e nella pompa dei vestimenti, tanto più si dimostra egli lontano dalla sua primiera innocenza, forse forse che noi procederemmo assai più maturamente.

Et Joannes Casa de laudibus Venetiarum a causa materiali ita loquitur.

Per la qual cosa voi soli, tra tutte le città, che sono, o furono, o saranno giammai, larghe e spaziose porte avendo, e quelle il giorno, e la notte aperte, e senza niuna custodia lasciando, sicuri e senza alcun sospetto vivete; perciocchè non uomini od armi, ma uno degli elementi alla vostra custodia vigila ed attende... E chi può a buona equità dunque negare, che coloro a cui il mare è tranquillità, e l'arena fondamento, e la tempesta schermo, ed il paludoso aere salubrità, e le sterili valli dovizia, non debbono ciò riconoscere, non per accidente di fortuna, nè per providenza di consiglio, ma per divino miracolo e per ispecial privilegio?...

A causa formali Casa idem in eadem oratione.

Per le quali cose sappiano coloro, che mossi dalla fama delle bellezze di questa veneranda città, di lontane parti movendosi, peregrinando vengono a mirarla, e miratala, sempre maggiori le lodi, e la meraviglia di lei alle lor case tornando riportano, che essi non avevano il grido e la fama dai loro paesi partendosi recata; e stimino,

che siccome per mirare le bellezze del cielo, non hanno gli uomini intera conoscenza di Dio, ma solamente prendono alcun argomento, quale debba esser Colui che in sì nobile magione alberghi: così nè più nè meno, perciocchè alcuno veduto abbia la bellezza di questo sito, alla quale niuna cosa pari, nè somigliante fecero, nè far potrebbero giammai le mani degli uomini, non perciò ha colui perfetta cognizione della vostra città, ma solamente alcun piccolo indizio prende, quali sieno gli abitatori di sì meraviglioso albergo.

Denique Albertus Lollius ut animum adderet Paulo III. ad bellum germanicum gerendum, hoc modo argumentum a causa finali ducit.

Per la qual cosa, Padre Beatissimo, dovete voi ora con esso voi grandemente allegrarvi, considerando, che in questo tempo non poteva nascere nè più grave, nè più bella, nè più illustre occasione, che fosse più atta per farvi caro a Dio, e rendere ai posteri la memoria del vostro nome più grata, più chiara, più onorata, e più lunga di questa. Perciocchè col favor dell'ajuto vostro alla Germania ed alla Cristianità pace recando, quella di somma felicità, e Voi di eterna gloria riempirete.

## §. X.

### *Effecta.*

*Quid sunt Effecta?*

R. Effecta, seu effectus, sunt ea quae oriuntur ex causis. Hinc sic argumentum duci potest.

Si aerarii copiis ad belli adjumenta, et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus. *Cic.*

Is locus cum causa apprime convenit: ut enim effectum causa indicat, ita effectus causam. Et cum de causa sermo sit, effecta inquirimus, contra cum

de effectis causa pervestigari solet. Quamobrem oratoribus in deliciis est, et poetis, uberemque dicendi copiam iis facile praebet.

*Velim exemplis doceas quomodo hoc loco uti possemus.*

R. Tullius bina exhibet luculentissima atque ornatissima. In libro 1. cap. 8. de Oratore hoc loco usus, eloquentiae facultatem mirificis laudibus effert.

Neque vero mihi quidquam praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum caetus, mentes allicere, voluntates impellere quo velis, unde autem velis, deducere. Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquillisque civitatibus, praecipue semper floruit, semperque dominata est. Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id quod omnibus natura sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit? aut tam jucundum cognitu atque auditu quam sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata oratio, et perpolita? aut tam potens, tamque magnificum, quam populi motus, judicum religiones, senatus gravitatem unius oratione converti? Quid porro tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus?

Hunc locum etiam mirifice tractat in libro de Senectute. cap. 12.

Accipite, optimi adolescentes, veterem orationem Architae Tarentini, magni in primis, et praeclari viri, quae mihi tradita est cum essem adolescens Tarenti cum Quinto Maximo. Nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem corporis, hominibus dicebat a natura datam: cujus voluptatis avidae libidines temere et effraenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae proditiones, hinc re-

rum publicarum eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra vero, et adulteria, et omne tale flagitium nullis illecebris excitari aliis, nisi voluptate. Cumque homini sive natura, sive quis Deus, nihil mente praestabilius dedisset: huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiae locum esse, neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere . . . . Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem.

*Exhibe exemplum italicum in quo argumentum ducatur ab Effectis.*

R. Eximium habemus in oratione Alberti Lollii ad Paulum III. de bello in Turcas suscipiendo, in quo declarat quantum Religioni, et nomini christiano noceant Principum et Regum catholicorum discordiae.

Per le discordie di Boemondo e Tancredo prima, e poscia degli altri, furono i nostri dal Saladino scacciati dall' Asia, e il sepolcro di Cristo vero Salvator nostro, un' altra volta tornò nelle forze degl' infedeli. Così guerreggiando co' Paleologi i Catacusini, entrò il primo Amuratte in possessione di una gran parte della Grecia. Così non si accordando fra loro nelle cose della Religione i Principi occidentali, Sultan Macometto si fece padrone di Constantinopoli, spegnendo insieme il nome e la gloria dell' impero orientale. Così a' giorni nostri il superbissimo Solimano ha espugnato Belgrado, preso Modone, vinto Rodi, saccheggiata, arsa e distrutta l' Ungheria. Sicchè, mentre i Cristiani fra loro combattono, si perseguitano, e si consumano, egli trionfa e se ne ride: aspettando senza fallo di riportare dell' ambizione e pazzia loro opima vittoria.

## §. XI.

### *Comparatio.*

*Quid est Comparatio?*

R. Est oratio qua duo vel plura in tertio aliquo conferuntur, quod illis commune est: ut *Catoni licuit sequi bellum civile, igitur et Ciceroni licebit.* Commune est enim ambobus sequi bellum civile.

*Quid discriminis est inter similitudinem et Comparationem?*

R. Similitudo proprie pertinet ad id quod qualitatem vocant, Comparatio vero ad id quod quantitatem appellant. Fit Comparatio 1. vel a majori ad minus, 2. vel a minori ad majus, 3. vel a pari. In similitudine vero nulla fit mentio neque paris, neque majoris, neque minoris.

*Quomodo argumentatur a Comparatione majoris ad minus?*

R. Cum contendimus, ut id quod valet in majori, valeat etiam in minori; ut cum ait Christus.

Si ego Dominus et magister vester lavi pedes vestros; et vos debetis alter alterius lavare pedes.

Ita Cicero in Antonium:

Quid faceres domi tuae, cum alienae tam sis insolens?

Sic etiam Terentius:

Quem feret, si parentem non fert suum?

*Quomodo fit argumentum a Comparatione minoris ad majus?*

R. Quando contendimus, ut quod valet in minori, valeat etiam in majori. Ut Cicero pro Lege Manilia:

Majores nostri saepe, mercatoribus, ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt: vos, tot Civium Romanorum millibus uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis?

*Quomodo fit argumentum a Comparatione parium?*

R. Fit cum contendimus id quod valet in una re, valere etiam debere in alia re pari: ut lex est, qui occiderit patrem, insutus in culeum dejiciatur in profluentem; ergo et qui matrem occiderit, eodem supplicio dignus est. Hinc Tullius in oratione pro Sylla se jam parem esse probat Hortensio oratori, atque ita argumentatur. Jure potest Hortensius Syllam defendere, ergo potest et Cicero. Sed illum loquentem audiamus.

Si conjuratio patefacta per me est, tam patet Hortensio quam mihi. Quem cum videas honore hoc, auctoritate, virtute, consilio praeditum non dubitassc quin innocentem Syllam defenderet, quaero, cur aditus ad causam, qui Hortensio patuit, mihi interclusus esse debuerit?

*Age afferas exempla italica Comparationis.*

R. A majori ad minus Cardinalis Commendunus in oratione pro discipulis Patavinis, ita ignoscendum esse reo contendit.

Conciosiacchè non vive uomo nel mondo sì saggio e giusto e moderato quanto alle virtù, sì d'animo quieto, e di vita sì solitaria quanto a' costumi, o di tanta estrema vecchiezza quanto all' età che non tema, o che non debba temere d'incorrere egli ancora quando che sia in tali errori, e che di colui pietà non gli prenda, a cui in sorte avvenne d'essere in cose tali dalla fortuna sospinto .... perciocchè non è legge così severa, che acquieti lo sdegno, tormento così crudele, che raffreni l'ira, pena tanto acerba, che sgomenti l'impeto, o tanto aspro supplicio, che ritardi il furore di chi pur allora offeso si sente.

A minori ad majus Albertus Lollius in oratione ad Paulum III. ita disserit.

Certamente, Padre Beatissimo, se per edificare una città si merita tant' onore, di qual sarà degno colui, che avrà provveduto, che tante già edificate non cadano a terra? Se per difendere un popolo solo in tanta gloria si sale, in qual salirà colui, che n' avrà molti insieme conservati? Se per mostrare il bel vivere agli uomini cotanto pregio s' acquista, di quanto si converrà ornar colui, che non pur mostrato, ma con tranquillissima sicurtà l' avrà loro renduto? E se Teseo, ed Ercole per le perpetue inimicizie che ebbero coi Tiranni, erano stimati degni di tanta riverenza, che furono loro drizzati tempii, fatti sacrificii, ed altri divini onori, quali laudi, quai titoli, o quali grazie uguali ai meriti, si potranno mai rendere a voi, B. P.?.......

A pari Venetiarum urbem perpetuo duraturam Joannes Casa declarat.

Ed è senza alcun dubbio da credere che siccome il cielo perpetuo essendo, conserva quel medesimo modo sempre, e la natura similmente perpetua ritiene una stessa legge; così la vostra nobile Comunanza eterna fia, perciocchè ella un medesimo ordine, e uno stesso stile ha tenuto e conservato sempre senza mutarlo, o pure alterarlo giammai, la quale più secoli vissuta essendo, che molte altre delle più illustri non vissero anni, più fresca e più vivace ora attempata si dimostra, che quelle allora giovani non si dimostrarono.

## CAPUT XII.

### DE LOCIS EXTRINSECIS SEU REMOTIS

*Quinam sunt loci extrinseci?*

R. Loci extrinseci, qui etiam vocantur remoti, et assumpti, sunt ii qui nullo modo pendent ab arte

ingenioque oratoris, ut excogitentur, quique extra rem ipsam positi sunt: quapropter ab Aristotele recte vocantur argumenta inartificialia, seu arte carentia, non quod artis omnino sint expertia, cum potius illorum tractatio summum requirat artificium; sed quod non eruantur ex rebus ipsis, et ex causae visceribus; quippe quae foris eruuntur, et auctoritate sola nituntur: itaque sunt inartificiosa, quod attinet ad inventionem, non vero quod spectat ad usum atque tractationem.

*Quot sunt loci extrinseci?*

R. Sex assignantur a Quintiliano. 1. Leges, seu praejudicia, 2. Fama, 3. Tabulae, 4. Jusjurandum, 5. Tormenta, 6. Testes: nunc vero morum et legum humanitas tota ferme ab Europa cruciatus, sive tormenta abrogavit.

*Quomodo argumentandum est a legibus ac praejudiciis?*

R. 1. Dices praejudicia ac leges esse vincula reipublicae, regnorum fundamenta, justitiae nervos, omnis aequitatis fontem, libertatis asylum, sapientiorum virorum oracula. 2. Commendabis eos a quibus latae sunt leges. 3. Recensebis damna quae consequentur, si leges impune violentur; juvabit interdum afferre ipsa legis verba, conceptamque ac solemnem formulam v. g. *Siquis hominem dolo malo morti duit, parricida esto.*

Si lex tibi adversetur, illam ita refutabis, et infringes. Dices 1. vel antiquatam fuisse legem, et amplius non valere. Ita Cicero pro Rabirio. *Tunc mihi etiam legis Porciae mentionem facies?* 2. Vel legem legi opponas. 3. Vel dices standum esse non legis literae, quae nimirum occidit, sed ipsius legisla-

toris menti. 4. Dices majoris cujuspiam utilitatis gratia, licere interdum a legibus discedere.

*Quid est fama seu rumor?*

R. Fama ut hic accipitur, est sermo vulgi sine ullo auctore ac capite dispersus, seu, ut ait Quintilianus, est « *sermo multitudinis, qui habet auctoritatem, nisi irrepserit malitia, vel nimia quaedam, ut fit, credulitas.* »

*Quomodo tractandus est locus a fama?*

R. Si tibi causaeque tuae faveat fama, dices magnam esse vim atque auctoritatem famae, cui optimus quisque tam impense studet. Dices populi vocem esse quoddam quasi oraculum, quod vix umquam fallere possit. Usurpabis in primis aureum illud Plinii dictum ad Trajanum. « *Singuli decipere, ac decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.* »

Contra vero, si tibi causaeque tuae rumor adversetur, erit amplificanda verbis famae levitas atque inconstantia, quae saepe viris integerrimis maculas amet aspergere. Dices ex opinione magis quam ex veritate res aestimare solere. Usurpabis auream Senecae, opinor, sententiam.

Pessimi argumentum turba est.



Dices cum Juvenali Sat. 1.

Dat veniam corvis, vexat censura columbas.

Addere denique poteris de fama cum Virgilio Aeneid. 4. et cum Tertulliano etiam in Apologetico, quod nimirum sit

Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri.

Ita Tullius pro Plancio judices obsecrat ne disseminatis rumusculis fidem habeant.

Illud unum vos magnopere oro atque obsecro, cum hujus quem defendo, tum communis periculi causa, ne fictis auditionibus, ne disseminato dispersoque sermoni fortunas innocentium subjiciendas putetis... Nihil est tam volucre, quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur.

*Quid sunt tabulae?*

R. Nomine tabularum intelliguntur omnia testimonia scripto exarata, quibus pacta conventa, contractus, codicilli, stipulationes, testamenta, et alia id genus continentur. His saepe tota res agitur, quum sive ad reum convincendum, sive ad cujusquam facinus promendum, vel animum significandum, alicujus hominis, vel civitatis scripta proferuntur, quibus fides negari non possit. Si demonstrabimus id de quo agitur in publicas tabulas relatum esse, fides adhibenda erit, dummodo legitime factum. Hunc vero locum infirmare possumus, si tabulas illegitimas esse, vel falsas, vel in alienam partem detortas, et haud recte interpretatas fuisse comprobemus.

*Quid est jusjurandum?*

R. Est affirmatio, vel negatio rei alicujus, ritu religioso facta, et Deo Optimo Maximo in testem appellato. Sic olim Scipio apud Livium Lib. 23.

Si sciens fallo, tum me Jupiter Opt. Max. domum, familiam, remque meam pessimo loco afficias.

Quod si forte juramenti fidem velis infirmare, dices cum eloquentissimo illo Massiliae Sacerdote Salviano.

Plures invenias qui saepius pejerent, quam qui omnino non jurent.

Et rursus idem Salvianus libro 4.

Si pejeret Francus, quid novi facit? Qui perjurium ipsum sermonis genus putat esse, non criminis.

*Quid sunt tormenta sive quaestio?*

R. Sunt cruciatus, vi quorum veritas extorquebatur a reis. Valebat autem plurimum locus ille ad faciendam fidem, si post quaestionem reus in facti confessione perseverasset. Faciebat item maximopere ad probandam, ejus qui accusabatur, innocentiam, si tormentis adduci non poterat ut crimen fateretur.

*Quomodo infirmari poterat locus ille?*

R. Dixisses periculosam esse fallacemque confessionem quae tormentorum vi exprimitur; quandoquidem compertum est bene multos innocentes, vi tormentorum ac metu doloris, ad falsa dicenda persaepe fuisse adactos; et potuisses hoc loco usurpare sapientissimam illam viri clarissimi Ugonis Grotii sententiam.

Mentietur qui ferre poterit: mentietur qui ferre non poterit.

Ita etiam Cicero pro Sylla.

Quaestiones, *inquit*, servorum ac tormenta nobis accusator minitatur, in quibus quamquam nihil periculi suspicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujuscumque animi tum corporis, regit quaesitor, flectit libido, corrumpit spes, infirmat metus, ut in tantis rerum angustiis nihil veritati loci relinquatur.

*Quid sunt testes?*

R. Sunt qui de re, quae vocatur in controversiam, voce vel scripto testimonium ferunt. Accedit huic testificationi majus pondus atque auctoritas: 1. Si testes sint oculati. 2. Si sint jurati. 3. Si sint viri probi atque integerrimi. 4. Si sint viri illustres ac primarii. 5. Si nulla nec spe nec cupiditate impulsi testimonium dicant.

*Quomodo infirmatur locus a testibus?*

R. Infirmabitur locus ille 1. si dicas testes esse homines vel infames, vel leves ac futiles, vel servos, domesticos, amicos, aut quomodocumque suspectos. 2. Si ostendas illos non secum ipsis cohaerere, sed pugnantia loqui. 3. Si graviores testes illis opponas. 4. Si conjecturis et argumentis illorum testimonii futilitatem demonstres. 5. Denique si dicas testes illos esse homines infimae sortis, atque egentissimos qui facile subornari potuerint.

## CAPUT XIII.

### DE ARGUMENTORUM INVENTIONE QUAE AD TRIA ELOQUENTIAE SPECIATIM GENERA PERTINENT

*Num tria eloquentiae genera quae numeravimus propria habent argumenta?*

R. Quamquam ex fontibus quos ostendimus omnis argumentorum inventio ad omnem orationem exoritur, tamen tria genera Demonstrativum, Deliberativum, Judiciale, argumenta propria habere possunt, de quibus Rhetores seorsim praecepta tradiderunt, quae nos hic paucis perstringemus.

### §. I.

#### *De inventione argumentorum quae speciatim ad genus demonstrativum pertinent.*

*Quae argumenta praecipue generi demonstrativo sunt aptiora?*

R. Genus demonstrativum quod totum vel in laudando vel in vituperando est, habet in se unde orator

argumenta propria petat ad laudem vel ad vituperationem. Verum sive laudet sive vituperet, animadvertendum in primis est an de personis, an de rebus sermo sit. Si de personis, tum observanda quaedam ad personas pertinentia; si de rebus, quaedam sunt rerum de quibus loquimur omnino propria, neque caeteris communia.

*Dic age argumenta quibus orator personam laudare potest.*

R. Argumenta quibus orator personam laudare potest alia sunt intrinseca, alia extrinseca; idest alia insunt personae, alia circumstant. Intrinseca sunt mores, virtutes, illustria facta, scientiae, artes: extrinseca genus, patriam, corporis et fortunae dotes, et quos vel vivens vel post mortem assecuta sit honores.

*Velim afferas intrinseca argumenta ad laudem alicujus.*

R. Probati mores summa laude hominem afficiunt, virtutes extollunt; in quibus primum locum obtinent religio, charitasque in Deum, in parentes, in patriam. Secundum locum bono sibi jure vindicant justitia, moderatio, humanitas, clementia. Laudabitur liberalitas atque beneficentia in egenos, in cives, in omnes, qua nimirum una reges ac principes propius ad Deum accedere posse videntur. Celebrari poterit etiam facilitas, et comitas. Fortitudo denique in periculis adeundis, et laboribus tolerandis, magnitudo animi excelsi et invicti nihil extimescentis, constantia, fidesque in promissis, prudentia in consiliis dandis et capiendis, aequanimitas in adversis; modestia in secundis; et quod maximum est, fortia et illustria facta, quibus vitam ille nobilitavit, honores quos merito assequutus est, munera quibus bene functus et similia, segetem argumento-

rum uberem in laudando suppeditabunt. Genus mortis sive magna pietate et constantia, sive pro religione vel principe vel patria obitae in magnis laudibus quoque esse solet.

*Quomodo laudari quis poterit a scientia et artibus?*

R. Ex triplici capite. 1. Si liberalium artium scientiarumque disciplinis sit instructus is qui laudatur. 2. Si libris, operibus editis sit clarus. 3. Si literis artibusque, vel earum cultoribus favit, et patrocinatus est, vel pecunia sua scholas instituit, bibliothecasque vel auxit vel locupletavit, aut mercurialibus viris opem attulit, aluit puerorum studia, et de literis, scientiisque benemeritus est habitus. Haec omnia oratori laudationis argumenta haud exilia suppeditabunt.

## §. II.

### *De argumentis ad laudem extrinsecis.*

*Quaenam vocamus extrinseca ad laudationem argumenta?*

R. Ea quae non animo studioque proveniunt, sed fortunae, naturaeque, idest Providentiae dono. Haec sunt genus, patria, institutio, corporis pulchritudo, robur, sanitas: quae in ipsa morte, quae sub ipsum mortis tempus contigere.

*Quomodo laudari poterit a genere?*

R. Si genus sit illustre, laudabis a splendore natalium, majorumque rebus gestis, quae sunt quaedam virtutis quasi semina in nobilium animis insita. Dices majorum virtutem in eum quem laudas cum sanguine pariter fuisse transfusam, juxta decantatum illud Ho-

ratii verbum: *Fortes creantur fortibus.* Dices filios impressis majorum vestigiis insistere solere. Hinc J. Caesar suam a Venere repetebat originem. M. Antonius ab Hercule. Galli se Dite patre prognatos praedicabant, inquit Caesar Commentariorum libro 6.

*Quid facto est opus si is qui laudatur obscuro genere natus sit?*

R. Locum habere poterit illud Minutii Felicis in Octavio.

Omnes pari sorte nascimur, sola virtute distinguimur.

Vel illud Velleji Paterculi.

Optimus quisque nobilissimus.

Dices quoque cum Seneca.

Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem: cui ex quacumque conditione, supra conditionem licet surgere

Usurpabis tritum illud alterius Senecae.

Qui genus laudat suum, aliena laudat.

Nihil etiam magis pervulgatum quam effatum illud Ulyssis in certamine cum Ajace.

Et genus et proavos, et quae non fecimus ipsi
Vix ea nostra voco.

Erit etiam in promptu magnifica illa Tullii vox, cum contemptim *novus Arpinas* appellaretur. « *Ego,* inquit, *majoribus meis virtute mea praeluxi.* »

Denique poterit usurpari quoque ingeniosum illud dictum Iphicratis, qui ex sutoris filio, ob summam rei militaris peritiam, factus Atheniensium exercitus Imperator, invido cuidam generis ignobilitatem expro-

branti, salse respondit. « *Meum genus a me incipit: tuum in te desinit. Meorum primus ego sum, tu tuorum ultimus.* »

*Quomodo ducitur laus a patria?*

R. Si ea illustris fuerit, virisque insignibus nobilitata, hoc ipsum in laude poni solet: si patria sit ignobilis et obscura, usurpabis memorabile illud Anacharsis verbum, qui cum natus esset in Scythia, et a Graeco nescio quo *Barbarus ac Scytha* contemptim appellaretur, perquam ingeniose respondit: « *Mihi quidem patria probro est, tu vero patriae.* »

Dices cum Juvenali; tametsi adeo pervulgata esset Abderitarum stupiditas, ut etiam in communi proverbio versaretur, tamen Abderitam fuisse Democritum Phisicum illum subtilissimum, naturaeque venatorem acerrimum:

*. . . . . . . cujus prudentia monstrat*
*Summos posse viros et magna exempla daturos,*
*Vervecum in patria, crassoque sub aere nasci.*

*Quomodo laudari poterit ab institutione?*

R. Si bonam sortitus est, laudabis eo quod optime respondit, expectationemque suorum explevit: si non bonam, quod institutionis vitium ingenio et studio emendavit: si nullam, quod seipsum bonis moribus artibusque, nemine auxiliante, peculiari quodam naturae munere, difficultatibus omnibus animi ingeniique vi superatis, instituit.

*Quaenam laudari poterunt in corpore?*

R. Laudantur in corpore, ut diximus, pulchritudo, robur et sanitas; et his similia. Qui haec habuerit, laudabitur, quod bene sit illis usus; qui non habuerit, quod sapienter caruerit; qui amiserit, quod tulerit moderate.

Est autem pulchritudo, apta compositio, et figura membrorum, cum omnes corporis partes, inter se cum quodam lepore et coloris suavitate consentiunt. « *Sunt autem pulchritudinis genera duo,* inquit Tullius, *unum virile quam dignitatem dicimus, alterum muliebre quam venustatem appellamus.*

*Cur caduca haec, et plerumque etiam noxia, corporis bona laudantur in homine?*

R. 1. Laudantur quia licet in se veram laudem non habeant, quae debetur uni virtuti; tamen virtus in eorum usu atque moderatione vel maxime cernitur. 2. Quia formae dignitas est optimae mentis indicium: et simulacrum quoddam, ac flos quodammodo virtutis. Unde non inscite dictum est ab Eumenio in panegyrico Constantini Magni. « *Naturam ipsam magnis mentibus domicilia magna metari: et ex vultu hominis decoreque membrorum, colligi posse quantus coelestis spiritus intrarit habitator.* » 3. Quia corporis decor est muta quaedam commendatio, et, ut eleganter ajebat Carneades, *regnum absque satellitio.*

*Gratior, et pulchro veniens in corpore virtus*
*Adjuvat*; inquit Maro. Hinc est quod populi bene multi, et in primis Aethiopes, Indique in dandis imperiis, proceritatem ac pulchritudinem spectare solebant, ut narrat Aristoteles; graviterque mulctatus fuit olim a Lacedaemoniis Archidamus rex, quod exiguam duxisset uxorem. Querebantur enim *non reges, sed regulos* ex hoc conjugio procreatum iri.

Quia pulchritudo est virtutis non solum indicium sed etiam adjumentum. Denique cum vel in ipsis sacris literis praedicetur David, ut *pulcher aspectu, et facie decora*; quid sane mirum, si a Cornelio Nepote laudetur Alcibiades ut *aetatis suae formosis-*

*simus*? Si ex hoc eodem capite commendetur a Plutarcho Scipio Africanus: et si de Theodosio Magno dixerit Pacatus.

Virtus tua meruit imperium, sed virtuti addixit forma suffragium. Illa praestitit ut oporteret te Principem fieri: haec ut deceret.

Quod si subturpiculus forte fuerit vel deformis is qui laudatur, tunc sane corporis vitium egregiis animi dotibus solerter compensabis. Confugies ad illud Ovidianum.

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio, formae damna rependo meae.

Dices deformem fuisse Socratem, caecum Homerum, coclitem, seu altero oculo captum, Philippum Alexandri magni patrem; itemque Hannibalem.

Fluxam et caducam formae fragilitatem, quae propediem deflorescit, verbis exaggerabis; unde Socrates ingeniose ajebat illam esse *brevem tyrannidem*. Neque fragilem modo dices, sed etiam rem esse plerumque perniciosam, praecipitem, lubricam, et periculosae aleae plenam docebis. Unde festive Petrarca vocat illam *velum oculis, pedibus laqueum, viscum alis*. Postremo addere poteris cum Petronio.

Raram facit mixturam cum sapientia forma.

Jam vero de sanitate corporis sat esto, ne longi simus, aureum illud Juvenalis dictum Sat. 10.

*Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.*

*Quomodo commendari quis poterit ab honoribus*?

R. Bifariam: 1. si nempe illos promeritus fuerit, beneque illis fuerit usus. Hinc acute omnino suum Trajanum laudat Plinius, quod meruerit honores, antequam fuisset illos adeptus.

Soli, *inquit*, contigit tibi, ut pater patriae esses, antequam fieres.

2. Si et meruerit simul et spreverit, quemadmodum magnanimus ille Frontinus, quem cum Rufo ita comparat Plinius in epistolis:

Uterque, *inquit*, ad gloriam pari cupiditate diverso itinere contendit. Alter *(Rufus)* cum expetit debitos titulos: alter *(Frontinus)* cum mavult videri contempsisse.

*Quomodo commendari quis poterit a divitiis?*

R. 1. Si possideat, non possideatur. 2. Si sint honestis laboribus partae. 3. Si iis utatur non ad perfruendas voluptates, sed ad usus vitae honestos, vel ad juvandos amicos, vel ad egenorum inopiam sublevandam: ut Trajanus, de quo ita Plinius.

Nihil magis tuum credis, quam quod per amicos habes.

Non vero quemadmodum aut luxuriosi perditique nepotes aut avari.

*Aut qui divitiis soli incubuere repertis*
*Nec partem posuere suis: quae maxima turba est.*
(Virg. Aen. 6.)

Quod si fortunae bonis caruerit is quem laudas, confugies ad tritos illos communesque locos, blandientis fortunae munera potius esse in malis, quam in bonis numeranda; caduca semper haec esse, non virtutis et ingenii, sed incertae sortis et temporum munera; infelicitatis genus esse, semper esse felicem.

*Quid in ipsa morte considerare potissimum debet orator?*

R. Duo: genus nimirum, et causam mortis. Genus, si quis pie ac fortiter obierit, ut sapientem ac probum decet. Causa vero laudabitur, si nempe vel pro patria pugnans occubuerit;

Dulce ac decorum est pro patria mori

inquit Horatius: vel si pro tuenda religione mortem occubuerit, ut Christi martyres sanctissimi: vel denique si honestis animi corporisve laboribus, et curis sibi ipse mortem acceleraverit.

*Quaenam post mortem consideranda sunt?*

R. Tria haec spectari solent. 1. Pompa funebris, et honores habiti mortuo; ut quod Aristoteli statua fuerit erecta cum inscriptione hujusmodi:

- Aristoteles Philosophorum optimus -

vel quod uni Demetrio Phalereo trecentae statuae et sexaginta fuerint Athenis positae; vel quod Gorgiae Leontino, non aurata, ut caeteris, sed aurea statua fuerit erecta. 2. Spectatur bonorum maeror et luctus. 3. Denique spectantur filii superstites relicti, unde levari mortis maeror, damnumque aliquo pacto sarciri possit. Ita D. Ambrosius in funere Theodosii Magni.

Ergo, *inquit*, tantus imperator recessit a nobis: sed non totus recessit. Reliquit enim liberos, in quibus eum debemus agnoscere, et in quibus eum cernimus, et tenemus.

Intelligit autem Honorium, et Arcadium, qui patri in imperio successere.

## §. III.

### *Animadversiones quaedam circa personarum laudationem.*

*Quaenam observanda sunt in personarum laudatione?*

R. Tria haec. 1. Ne ad ementitas, fictitiasque laudes recurramus, quae scilicet non splendorem affe-

runt orationi, sed in veris etiam fidem omnino derogare solent; ut olim contigit imprudentibus hisce poetis, qui versibus celebrare veriti non sunt hyacinthinas Stratonices comas, quam non deformem modo, sed calvam prorsus esse nemo nesciebat. Quod etiam illustrare poteris exemplo Lysippi, qui Alexandrum sapienter effinxit hastam manu tenentem; Apellem reprehendens quod eumdem fulminantem depinxisset, et ita spoliasset veris, ac propriis insignibus, et ornaret falsis, quae nullam apud posteros fidem essent habitura.

2. Cavendum est ne in meliorum copia, res consectemur viles, et facta leviora, ut enim scite ajebat Favorinus, turpius est exigue frigideque laudari, quam graviter vituperari. In magnis tamen viris aliquando etiam res minusculas commendare operae praetium est.

3. Denique erit hoc observandum diligenter, ut non communes ac pervagatas, sed proprias cujusque, vel saltem cum paucis communes laudes praecipue consectemur. Quapropter plane ac perfecte perspecta tibi esse debent quae propria sunt illius de quo agitur. Ut enim optime monet Aristoteles: « *Quomodo laudabimus Athenienses, si lateat nos navale proelium apud Salaminam, vel pugna in Marathone, aliave id genus?* » Idemque Aristoteles praeclare docet propria semper esse praeferenda communibus, eoque Achillem non tam laudari debere quod sit ex Semideis ortus, aut quod ad Ilium militaverit, quae illi cum Diomede, pluribusque aliis erant communia, quam quod Hectorem Trojanorum fortissimum, et Cygnum Neptuni filium, nulli telo licet penetrabilem, interemerit.

De personarum laudatione satis superque dictum a nobis hactenus. Unde intelligi facile potest, quomodo debeat institui vituperatio, quippe ubi omnia prorsus debent inverti.

## §. IV.

### *De rerum rationis expertium laudatione.*

*Quomodo laudari possunt res ratione expertes?*

R. Ex iis quae de personarum laudatione dicta sunt, haud difficilis erit conjectura de iis quae quasi personae sunt, uti muta animantia, quae personae instar tractari posse 1. monstrat Virgilius cum equos Aeneae celebrat a natalibus.

. . . . . Geminosque jugales  
Semine ab aetherio, spirantes naribus ignem,  
Illorum de gente, patri quos Daedala Circe  
Supposita de matre nothos furata creavit.

2. A corporis dotibus equum Ascanii laudat idem Virgilius.

Quem Thracius albis  
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi  
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.

3. A colore, et celeritate, Turni equos extollit.

Qui candore nives anteirent, cursibus auras.

4. Fortitudinem, et felicitatem tribuit equo Mezentii, cui nomen erat Rhoebus.

Hoc decus illi,  
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat  
Omnibus.

5. Denique fidem et amorem agnoscit in Pallantis equo, quem in domini funere lacrymantem inducit.

Post bellator equus, positis insignibus, Aethon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Quamquam hac in re parum consentit cum Philosophis, qui ex animalibus, solum hominem lacrymari concordissime docent. Sed facile ferendus error Virgilii, cum ante illum dixerit Homerus Achillis equos in domini funere fuisse lacrymatos; et post Homerum eodem errore abreptum fuisse Svetonium et Plinium ipsum videamus. Ex his liquet quomodo etiam laudare possis apes cum Virgilio, passerem cum Catullo, hortos cum Homero, fontem cum Horatio, cum ait;

O fons Blandusiae splendidior vitro.

Quia vero urbes et regiones aliquando publice ab oratoribus laudari solent, de hoc orationum genere speciatim tractandum esse judicamus.

## §. V.

### *De laude urbium ac regionum.*

*Quomodo laudantur urbes et regiones?*

R. Ex quinque capitibus. 1. A conditoribus urbis, et a primis regionis cultoribus. Hinc Carthaginem laudat Virg. Aeneid. 1.

Urbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago.

2. Ab antiquitate. Sic olim Athenienses sese *aborigenes,* hoc est sine origine, et ab ipsa terra genitos gloriabantur. Ita etiam Arcades se *Luna ipsa antiquiores* fabulabantur.

3. A situs amoenitate, ab aeris clementia, et salubritate, a natura coeli, et solis. Quo refer fertilitatem, flumina, fontes, maria, montes, metalla etc. Ex hoc tertio capite Campaniam breviter sed eleganter laudat Florus libr. 1. cap. 16.

Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est. Nihil mollius coelo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius solo: ideo Liberi, Cererisque certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. Hic illi nobiles portus, Cajeta, Misenus, et tepentes fontibus Bajae: Lucrinus, et Avernus, quaedam maris otia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus, et pulcherrimus omnium Vesuvius Aetnaei ignis imitator: urbes ad mare, Formiae, Cumae, Puteoli, Neapolis, Herculanum, Pompeji, et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.

4. Laudabis a structura, quo pertinent templa, arces, aedificia, moenia, porticus, pontes, theatra, gymnasia, aquaeductus, thermae, statuae, plateae.

5. Laudabis ab incolis, qui civitatis veluti anima sunt, et unde verus illius decor efflorescit. Laudabis ab incolarum frequentia, robore, praestantia, pietate, a studiis, moribus, rebus gestis.

Ex variis hisce quos indicavi fontibus Syracusas mirum in modum laudat Tullius Verrina 9. Habes etiam Tarenti laudatiunculam in primo Flori libro quae sic habet.

Tarentum Lacedaemoniorum opus, Calabriae quondam, et Apuliae, totiusque Lucaniae caput, cum magnitudine, et muris, portuque nobilis, tum mirabilis situ.

Plinius denique ex his fontibus hoc pacto laudat Italiam.

Nec ignoro ingrati ac segnis animi existimari posse merito, si breviter atque in transcursu ad hunc modum dicatur terra omnium terrarum alumna, eadem et parens numine Deûm electa, quae coelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret: et tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, et humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, (quos quis attigerit?) tanta rerum singularum populorumque claritas tenet! Urbs Roma, vel sola in ea, et digna tam festa cervice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campaniae ora per se, felixque illa ac beata amoenitas? Ut palam sit uno in loco gaudentis opus esse naturae. Jam vero tota ea vitalis, ac perennis salubritatis coeli temperies est, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica silvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum et vitium, olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique, et tamquam ad juvandos mortales ipsa avide in maria procurrens. Neque ingenia ritusque ac viros, et lingua manuque superatas commemoro gentes. Ipsi de ea judicavere Graeci, genus in gloriam suam effusissimum, quotam partem ex ea appellando Graeciam magnam.

## §. VI.

### *De argumentis ad vituperandum idoneis.*

*Quomodo vituperari poterunt homines, res, et urbes?*

R. Primo si dicemus caruisse et carere iis quae aliorum laudi inserviunt: secundo si cum non ca-

ruerint, ostendemus in pejus vertisse: tertio si vitia virtutibus laudatis opposita habuisse et habere affirmabimus. Hoc pacto oratori vituperatio in promptu erit, ut videre licet in Actionibus in Verrem, in Orationibus in Catilinam et M. Antonium, in quibus Marcus Tullius omnem vituperandi artem, pene dixerim explevit. Hujusmodi orationes, vulgo *invectivae* appellantur. Sed de his satis superque dictum est. Praestat enim in laudatione quam in vituperatione versari: neque major ulla vituperatio esse videtur quam nequitiam et vitia silentio praeterire. Stylum abjectis et sordibus non inquinare sapientis et morati esse duco.

## §. VII.

### *De inventione argumentorum quae speciatim ad genus deliberativum pertinent.*

*Quaenam sunt argumenta propria generis deliberativi?*

R. Genus deliberativum in suasione vel dissuasione versari monuimus, quibus positis, par est ut suasio a justitia primum, postea ab utilitate et decoro, aliisque similibus, de quibus dictum est supra, proficiscatur. Si haec omnia orator animadvertet et mente cogitet, magnam argumentorum copiam in promptu habebit.

Observandum ergo erit in primis rei de qua agitur justitia, et honestas, et, ut haec confirmemus, Jus publicum Gentiumque humanas divinasque leges, mores, consuetudines excutiemus, a quibus argumenta elicere possemus. Postea ut rei utilitatem ac com-

modum in propatulo sit omni ope conemur: haec enim saepius et melius animos hominum alliciunt, et ad faciendum aliquid, vel non faciendum suadent. Ostendemus ergo commoda quae nobis evenient si rem suscipiemus, incommoda quae sequentur, si ab illa abhorrebimus. Ex illa et bonum publicum, et publicam privatamque civium salutem pendere dicemus, quibus exaggeratis arte quam docuimus, facile ad faciendum impellemus, vel a faciendo deterrebimus. Et cum saepe decus et gloria stimulos addant, quantum honoris gloriaeque nobis parituri simus, si rem suscipiamus, vel contra quantum dedecoris et pudoris si praetermittamus, oculis auditorum subjiciemus, ut non solum mente concipiant, verum etiam veluti manibus attingant. Rei facilitatem detegemus, difficultates leniendo vel explicando; pronam stratamque viam ostendemus ut animos addamus. Si vero addita facilitati voluptas erit, et rem exequi non solum facile, sed et voluptarium esse demonstremus quod fieri potest, rem enucleate disserentes, punctum omne adepti erimus.

In dissuadendo autem, et rei injustitiam et incommoda et dedecus, et difficultates insuperabiles, et dolores qui illam comitantur, eodem pacto, quo supra dictum est, in medio ponemus. At si non in rebus negotiisque agendis oratio versatur, sed quae ad sapientiae, virtutis, pietatisque cultum pertinent, tunc aliunde argumenta sumamus oportet. Ostendemus id quod proponimus non solum rationi consentaneum, sed etiam aequum, et humanis divinisque legibus nobis praeceptum, quae proemia observantes, quae supplicia renuentes violantesque maneant. Quod nisi praecepta, sed tantum haec sint proposita, utilitatem

et uberes fructus, quos ex illis colligere facile possumus exponemus, patrum consilia et exempla et doctrinas proferemus, ut animus paratior, et ad ea exequenda sit promptior.

*Quid spectandum est in iis qui deliberant?*

R. Penitus agnoscere debet orator animos eorum qui deliberant, ut possit ambitiosis splendida, avaris utilia, voluptuosis jucunda proponere.

## §. VIII.

### *De variis variarum aetatum moribus.*

*Quinam sunt juvenum, virorum, ac senum mores?*

R. Aetatis cujusque mores graphice admodum ita pingit Horatius in arte Poetica.

Imberbis juvenis tandem, custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis aetas animusque virilis,
Quaerit opes et amicitias, inservit honori;
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat;
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero: censor castigatorque minorum.

Juvenes igitur flagrant cupiditatibus, facile et vehementer excandescunt, unde adolescentia quidam quasi rationis aestus appellatur: honestum utili praeferunt, aperti sunt, candidi, et misericordes: sua

enim innocentia caeteros metiuntur. Prodigi sunt, et in sumptus effusi: nondum enim egestatem sunt experti: ad risum et dicacitatem sunt propensi. Audi Tullium.

Non loquor de sapientia quae non cadit in hanc aetatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam, quae studia in his jam aetatibus nostris contractiora esse debent in adolescentia vero, tamquam in herbis significant, quae virtutis maturitas, et quanta fruges industriae sit futura.

At dispar omnino est senum ratio. Facile succensent illi quidem; sed non aeque parent irae, quia ut scite Horatius.

Lenit albescens animos capillus,
Litium et rixae cupidus protervae.

Parum sperant, quia diu vixerunt; pauca moliuntur, praeteritis gaudent, facetos ac ridiculos odere, solliciti sunt officiorum exactores, ad rem attenti, lenti, difficiles, suspiciosi, saepe enim aut se aut alios delusos meminerunt. Praeterea queruli sunt morosique, ut ait Tullius, *in fragili corpore odiosa est omnis offensio.*

Denique verbosi sunt et loquaces, quia docere amant. Sed facilius hoc illorum aetati condonandum ob egregias virtutes, quibus hoc vitium abunde compensant.

Virilis aetas senectutem inter et adolescentiam interjecta, ac in quodam quasi confinio posita, utriusque virtutum vitiorumque particeps est, et utriusque indolem, veluti ex vicinia trahit. Juventus fortis est sed intemperans; senectus est temperans, sed timida; virilis aetas fortis est sobriaque. Juventus nimis credula est; senectus nimis suspiciosa; virilis

aetas pro rerum natura, vel confidit vel diffidit. Juventus quaerit honestum potius quam utile; senectus utile magis quam honestum; virilis aetas et honestum simul et utile.

Puerilis denique aetas, effervescit facile; mutatur in horas; magnam habet indolem ad virtutem, gloriae, honorique mirum in modum velificatur. Audi Tullium libr. 5. de finibus:

Quanta sunt puerorum decertantium studia! ut illi efferuntur laetitia cum vicerint! ut pudet victos! ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari! quos illi labores non perferunt, ut aequalium principes sint!

Ex variis hisce variarum aetatum moribus facile liquet, in omni deliberatione, juvenum animos illecebris gloriae, cujus studio maxime trahuntur, esse titillandos: connivendum aliquando esse in illorum levioribus vitiis; expectandum tantisper, dum aestus iracundiae defervescat, neque contra torrentem esse luctandum. Apud senes maxime spectandam esse utilitatem, pecuniae, praediorum, opulentiae, et omnium vitae commodorum accessionem. Apud viros denique orationem honestate simul, et utilitate temperandam esse.

## §. IX.

### *De moribus Nobilium, Divitum, et Plebejorum.*

*Quinam sunt Nobilium mores?*

R. Nobiles sunt honoris ac gloriae vel maxime studiosi, et si Apulejana voce uti fas est, sunt in primis *honoripetae*. Solent autem non solum ignobiles aspernari, sed etiam homines novos, qui primi

ex sua gente sunt honores consecuti. Ita Metellus contemnebat C. Marium, illique consulatum invidebat. Unde sic de eo Sallustius.

Inerat contemptor animus, et superbia commune nobilitatis malum.

*Quinam sunt divitum mores?*

R. Divites, si praesertim divitias nuperrime sunt consequuti, contumeliosi ferme sunt, ac superbi. Nempe facile sibi persuadent praestare se caeteris. Praeterea solent mollitia luxuque diffluere, ut notat Juv. sat. 6.

Prima peregrinos obscoena pecunia mores
Intulit, et turpi fregerunt saecula luxu
Divitiae molles.

Hanc quam memoravimus novorum divitum arrogantiam, scite tangit Cicero cum de T. Roscio ait:

Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena;

et Maro cum ait de Numano:

Vociferans, tumidusque novo praecordia regno.

*Quid sunt denique plebejorum mores?*

R. Germanos plebis mores, suis coloribus scite pingunt Sallustius, Horatius, Tacitus, et Seneca, dum ajunt.

Plebem esse belluam multorum capitum . . . . pluma et vento mobiliorem esse . . . . opinione duci magis quam veritate . . . . ire quo itur non quo eundum est . . . . privatis commodis servire potius quam publicae vel honestati vel cupiditati . . . . cupidam esse rerum novarum. . . . . . Denique pessimi argumentum turbam esse.

*Num et de variis Reipublicae formis ratio habenda est?*

R. Ita: neque vero in deliberatione satis est aetatis et conditionis cujusque indolem ac studia diligenter spectare. Spectandi praeterea sunt Reipublicae mores, qui scilicet pro varia politicae forma, solent maximopere variare.

*Quaenam alia in deliberatione sunt observanda?*

R. Praeterea haec diligenter observabit orator.

1. Vitanda est omnis ingenii, assentationis et artificii suspicio, ne auditori videamur insidiari: omnis enim nimius ornatus habetur pro dolo.

2. In omni deliberatione nulla argumenta majus ferme pondus habent quam divina. Nam omnes religione moventur, et nulla res multitudinem vehementius ferit.

3. Maxima est ad persuadendum vis exemplorum aut recentium, quo notiora sint; aut veterum, quo plus ponderis habeant, et auctoritatis. Plerumque enim videntur respondere futura praeteritis, habeturque experimentum veluti quoddam rationis testimonium. Suadet v. g. Fabius Maximus in Senatu, ne Scipio, Hannibale in Italia relicto, trajiciat in Africam:

Dies me deficiet, *inquit*, si reges imperatoresque temere hostium terras transgressos, cum maximis cladibus suis exercituumque suorum, enumerare velim.

Deinde vetus affert Atheniensium exemplum, qui classe in Siciliam transmissa, rempublicam suam in perpetuum afflixerunt, et novum M. Attilii, qui in ea ipsa Africa, ante annos quadraginta victus et captus est.

## §. X.

### *De inventione argumentorum quae speciatim ad genus Judiciale pertinent.*

*Quaenam sunt argumenta propria generis Judicialis?*

R. Omnis probatio signis, indiciis, et conjecturis constare videtur in quaestionibus Judicialibus, si de crimine agas. Signa facinoris maximi sunt momenti: si enim de homine interfecto quaestio sit, accusatori argumenta suppeditabunt, cruenta vestis, et arma et livor, et talia quae instrumenta facinoris sunt, et nos delicti signa vocamus.

Si haec desint testium indicia, rumores, rei confessio, quod maximum indicium est, si non tormentis extorta, neque dolo aut vi, et si reus ipse veritatis indicia praebeat.

Quae si etiam desint, tunc conjecturae valebunt; nam hae quamvis per se debiles et imbecillae sint, tamen mutuo auxilio sustinentur.

Ut si quis, *ait Fabius*, haereditatis gratia hominem occidisse dicatur, nec firmissima argumenta ad probandum crimen adsint, infirmiora ex conjecturis hac ratione congreganda sunt. - Tu haereditatem sperabas, et magnam haereditatem: tu pauper eras, et tum maxime a creditoribus appellabaris: tu offenderas eum cujus haeres eras, et mutaturum tabulas sciebas. - Singula levia sunt, et communia, universa vero nocent, etiamsi non ut fulmine, tamen ut grandine. Si de furto dicas, quae ad furtum pertinent excuties.

Quae sint actoris, quae defensoris partes supra docuimus. Nunc unum addendum, cum non de crimine, sed de jure agatur, oratorem argumenta et

probationes ducere posse ex legibus, statutis, consuetudinibus, praescriptionibus, pactis conventis, sive scripto, sive coram testibus, testamentis, privilegiis: quae omnia, vel ad rem confirmandam si legitima, vel negandam si illegitima sint, apprime valent. Sed cum de his omnibus orator tractabit, non in verbo tantum sed in sententia animum intendat: nam scire leges non est verba, sed earum vim ac potestatem tenere.

## CAPUT XIV.

### DE ARGUMENTORUM DISPOSITIONE

*Quibus modis argumenta disponi possunt?*

R. Geminam methodum Dialectici adhibere solent, quarum altera *analytica,* altera *synthetica,* ab iis appellatur. Hac praecipue ad docendum, illa ad inveniendum utimur.

*Quaenam est methodus analytica?*

R. Ea est qua veritates deteguntur a compositis ad simplicia: et ut oratorum, non Dialecticorum verba hic usurpem, ea est in qua orator consilium suum in re probanda dissimulat, ut auditorem quasi per gradus, ad designatam conclusionem perducat. Hunc enim a veritate cognita ad incognitam longiore ambitu trahit, donec ex antecedentibus, veluti sponte, nulla vi adhibita, conclusio erumpere videatur. Ita Cicero lib. 3. Tusculanarum Quaestionum ut ostenderet *quod bonum est, id et honestum esse,* ita analytica methodo argumentatur.

Omne bonum laetabile est; quod autem laetabile, id praedicandum, et prae se ferendum; quod tale autem, id

etiam gloriosum; si vero gloriosum, certe laudabile; quod autem laudabile, profecto etiam honestum. Quod bonum igitur, id honestum.

Literis proditum est Socratem hanc adhibuisse methodum, ut brevibus, acutisque interrogationibus Sophistas impelleret urgeretque, ut sibi aliquid assentirent, quo facto statim ad conclusionem necessario trahebantur. Verum haec in deliberando vel demonstrando parum oratoribus in deliciis est, raroque usurpant. Accusator et defensor hac commodius uti possunt, ut ii quorum finis est convincere. In docendo vero saepissime et satis commode utimur.

*Quaenam est methodus synthetica?*

R. Ea est quae ab universalibus ad singularia progreditur. Haec est oratoribus usitatior, vulgique auribus accommodatior: hac enim rem notam universe propositam argumentis fulcimus et confirmamus, quoad auditorem omnino convicimus. Ita Tullius synthetica methodo copiose ornateque Deum esse confirmat.

Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur?

Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos coeli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque inter se connexa et apta viderit, neget in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quae quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus quin illa opera sint rationis: cum autem impetum coeli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute et conservatione rerum omnium, dubitamus quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excel-

lenti quadam divinaque ratione? Licet enim jam, remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas.

Firmissimum hoc afferri videtur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Multi de Diis prava sentiunt. Id enim vitioso more effici solet; omnes tamen esse vim, et naturam divinam arbitrantur: nec vero id collocutio hominum aut consensus efficit: non institutis opinio est confirmata, non legibus. Omni autem in re consensio omnium gentium, lex naturae putanda est.

Esse praestantem aliquam aeternamque naturam et eam suspiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum coelestium cogit confiteri.

Sit igitur jam hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum, ac moderatores Deos, eaque quae gerantur, eorum geri ditione ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat Religiones, intueri, piorumque, et impiorum habere rationem.

Utiles esse autem opiniones has quis neget, cum intelligat quam multa firmentur jurejurando; quantae salutis sint foederum Religiones, quam multos divini supplicii metus a scelere revocarit; quamque sancta sit societas civium inter ipsos, Diis immortalibus interpositis tum judicibus, tum testibus?

Quibus sublatis, perturbatio vitae sequitur, et magna confusio. Atque haud scio an, pietate adversus Deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et una excellentissima virtus justitia tollatur.

*Qua ratione disponenda sunt argumenta?*

R. Curandum erit in primis ut ex multis argumentis validiora seligamus, quibus tamquam certis

adminiculis oratio innitatur. Omnis orator apud se personam auditoris sustineat, videatque quae sibi vim afferre possint ad persuadendum. Delectu argumentorum habito, omnis in iis disponendis sit cura et sollicitudo.

1. Primum caveat ne in unum cogantur indistincte, sed singula proprium teneant locum. Si enim multa ad rei justitiam probandam, multa ad decorum, nonnulla ad commodum, reique voluptatem in promptu habeas, secernas oportet, et singula ad finem suum referas. Male enim faceres, si incomposite in medium proferres, ita ut ab utilitate ad voluptatem, posteaque ad justitiam rediret oratio, omnia perturbans, et veluti miscens quadrata rotundis. Nihil turpius esse potest oratione in qua, nullo ordine argumentorum servato, orator veluti amens omnia confundit, et miscet: nihil molestius auditori, qui rem plane concipere nequit, et ab una ad alteram rapitur rem, ut ad primam postea redeat.

2. Animadvertendum est etiam quid ponderis argumenta in se habeant, et quantum virium. Ita enim disponenda sunt ut augeatur semper et increscat oratio. Si orator virium suarum firmitate confidat, haec melior et pronior via est. Si vero diffidat, neque satis causam suam valere cognoscat, unumque argumentum habeat, in quo maxima vis pondusque inest, in prima statim fronte collocet, ut nulla mora auditorem praeoccupet, sibique conciliet. Si duo validiora sint argumenta, alterum in fronte, alterum in extremo, infirmioribus interpositis, collocet; ut illa conspicuum teneant locum, haec lumen et robur ab illis accipiant; magisque eorum infirmitas lateat. Quemadmodum imbecilliores milites qui fugam, au-

dita buccina, circumspiciunt, in medium agmen cogi solent, ut qui per se parum possunt, turba valeant.

3. Si argumenta omnia certa et firma sint, pertractanda et amplificanda sunt singillatim; si vero aut dubia aut verosimilia sint, aut infirmiora omnia, in unum congreganda sunt, ut mutuo auxilio sustineantur. « *Turba valent, urgent universa; at si singula quaeque dissolveris, jam illa flamma quae magna congerie convaluerat, diductis quibus alebatur, concidet; ut si vel maxima flumina in rivos deducantur, qualibet transitum praebent.* » ( Quintil. )

*Quaenam praestanda sunt, ut argumentorum distributio facilior sit?*

R. Ut facilius et commodius argumenta distribui possint eo quo diximus pacto, nonnulla tyronibus praesertim sunt praestanda. Ante omnia assuescant rudiore manu orationis imaginem scripto adumbrare, propositaque sibi re, quam confirmandam assumit, in singula quaestionis membra subtilissime inquirere, omnia pervestigare, discutere, enucleare, ut argumenta quibus tueri possit, reperiat: reperta describat, nullo habito delectu et ordine servato, sed prout mens ipsa suggerit. Cumque indistincte omnia descripserit, excutiat, deligat, secernat, infirmiora, vel non opportuna deleat, numerisque in chartae margine appositis, notet quae et quo ordine describat. Neque operam insumat ut omnia describat, sed validiora et opportuniora: non enim oratio innumeris argumentis, sed validis et aptioribus gaudet. Quae enim supervacanea sunt, obstant non adjuvant, et veluti inanibus impedimentis orationem consarciunt, atque ingratam auditoribus reddunt.

# CAPUT XV.

## DE ARGUMENTATIONE SIVE DE ARGUMENTORUM EXPOSITIONE

*Quid est argumentatio?*

R. Est argumenti fusior et artificiosa dilatatio. Inter argumenta et argumentationem hoc interest, quod argumentatio sit modus, sive ratio qua argumentum tractatur; argumentum vero sit ipsa argumentationis materia. Unde argumenta ex se jejuna sunt, et imbecilla, nisi artificiosa eorum accedat explicatio.

*Quot sunt argumentorum species, seu quot modis tractari possunt argumenta?*

R. Septem ex Dialecticis oratores sumpsere. Sunt. 1. Syllogismus, seu ratiocinatio. 2. Enthymema. 3. Epichirema. 4. Dilemma sive complexio. 5. Sorites. 6. Inductio. 7. Exemplum. Nunc paucis singula declarabimus.

### § I.

### *De Syllogismo.*

*Quid est Syllogismus?*

R. Duplex distinguitur Syllogismus, seu ratiocinatio. Alius est philosophicus, alius oratorius. Syllogismus philosophicus est argumentatio, constans tribus propositionibus distinctis, et explicatis, quae sic inter se connectuntur, ut concessis duabus primis, quarum altera *major*, altera *minor*, quia minus late patet, appellatur, necessario concedenda sit tertia, quae *consequentia* dicitur: v. g.

*Omnis ars honesta est amplectenda:*
*Rhetorica est ars honesta:*
*Ergo Rhetorica est amplectenda.*

Syllogismus oratorius est ratiocinatio constans quinque partibus, certo inter se ordine connexis, unde etiam vocatur *syllogismus perfectissimus.*

*Quaenam sunt partes Syllogismi oratorii?*

R. Quinque numerantur: 1 est Propositio. 2 Propositionis probatio. 3 Assumptio. 4 Assumptionis probatio. 5 Conclusio. Habes insigne quoddam Syllogismi oratorii exemplum in lib. 1. de Inventione, ubi luculenter demonstrat Cicero divina providentia mundum gubernari. Sed quod exiliter et jejune dixisset philosophus in hunc ferme modum = *Illud divina Providentia administratur quod optime administratur: sed mundus optime administratur: igitur mundus divina Providentia administratur.* = Tullius oratorio more ita pertractat.

Melius accurantur quae consilio geruntur, quam quae sine consilio administrantur. -- *Et haec est Propositio.*

Domus ea, quae ratione regitur, omnibus instructior est rebus, et apparatior, quam ea quae temere, et nullo consilio administratur. Exercitus is, cui praepositus est sapiens, et callidus Imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui stultitia et temeritate alicujus administratur. Eadem navigii ratio est. Nam navis optime cursum conficit ea, quae scientissimo gubernatore utitur. -- *Et haec est Propositionis probatio.*

Nihil autem omnium rerum melius, quam mundus administratur. -- *Et haec est Assumptio.*

Nam et signorum ortus, et obitus definitum quemdam ordinem servant; et annuae commutationes non modo quadam ex necessitate semper eodem motu fiunt, ve-

rum ad utilitates quoque rerum omnium sunt accommodatae; et diurnae nocturnaeque vicissitudines nulla in re unquam mutatae quidquam nocuerunt. -- *Et haec est Assumptionis probatio.*

Quae signa sunt omnia non mediocri quodam consilio naturam mundi administrari. -- *Quae est complexio, sive conclusio.*

*Semperne constat quinque illis partibus Syllogismus oratorius?*

R. Nequaquam. Si enim perspicua sit vel Propositio, vel Assumptio, tunc omittitur illius probatio; et ita fit Syllogismus quadripartitus. Quod si etiam perspicua videatur utraque, tunc probatione nihil opus erit; et ita tripartitus fiet Syllogismus.

*Quid vero intererit inte Rhetorem et Philosophum, si uterque tripartitum Syllogismum adhibeat?*

R. Hoc intererit, primo quod philosophus ea maxime quaerat argumenta, quae possunt scientiam aut certam opinionem efficere: rhetori vero sufficiant, ut plurimum, probabilia. Alterum discrimen est in argumenti tractandi ratione positum. Philosophus enim tres propositiones ordine collocat, quem ordinem *formam* appellant: rhetoris vero industria in eo posita est, ut propositiones illas invertat, amplificet, verbis ornet, figuris illuminet, artem denique totam diligenter tegat. Hinc acute admodum ajebat Zeno philosophus. « *Logicam seu dialecticam similem esse pugno, seu manui complicatae; Rhetoricam vero palmae seu manui explicatae atque exporrectae similem esse.*

*Numquamne logicus et naturalis servatur ordo in Syllogismis oratoriis?*

R. Servatur aliquando non solum ab oratoribus, verum etiam, quod mirum sane videatur, ab ipsis poetis, ut in illo Persii exemplo Sat. 5.

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet ut voluit? licet ut volo vivere; non sim
Liberior Bruto?

Qui profecto integer est Syllogismus et ordinem eum plane servat, qui tradi solet a Logicis.

*Syllogismi oratorii affer exemplum ab italico oratore depromptum.*

R. Exhibet Segnerus in Concione XII. Syllogismus philosophicus hic est, quem ille oratorio more amplificat. « *Nemo gaudet in institutum suum peccare, et si peccet erroris pudet = Christianus homo gloriatur nec pudet = Ergo is audaciae et pudoris omnes terminos praetergreditur, qui Christianus quum sit in peccato suo gloriatur.* Perlege oratorem, et artem ejus attende ut discas.

Perocchè qual cecità maggiore di questa, se si considera intimamente, trovar gloria nell' empietà? Andate voi discorrendo minutamente per tutti i mestieri degli uomini, non troverete che veruno nel suo si vanti di avere errato..... Solo l' aver peccato nel vivere è materia di compiacenza, è soggetto di vanto. È arrivato colui a quell' adulterio, tramato con tante industrie? Quanto ne giubila! Ha riportata quell' altro quella vendetta tracciata per tante strade? Quanto ne parla! Se è pervenuto quel cortigiano a screditare con le sue calunnie la fama di quell' innocente, che facevagli ombra, non se ne ride coi confidenti? Se è giunto quel ministro a spremere co' suoi raggiri la borsa di quella vedova, di cui maneggiava le liti, non se ne pregia co' suoi? E questo sarà, dirò di nuovo con Davide, il vostro vanto? *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Non fate voi professione di essere Cristiani, di esser Cattolici? Come dunque vanagloriarvi di quello ch' è tutto opposto a sì nobile professione?

## §. II.

### *De Enthymemate.*

*Quid est Enthymema?*

R. Est pars syllogismi, seu syllogismus imperfectus. Enthymema graeca vox est, quae significat *mente concipere*, *cogitare*: quod scilicet tertia propositio, quae verbis non effertur, mente retineatur.

*Quot partes habet Enthymema et quomodo fit?*

R. Duas, quarum prima vocatur a Logicis Antecedens, altera Consequens: v. g. *Omnes artes sunt expetendae. Ergo Eloquentia est expetenda.* Fit omittendo vel propositionem, vel assumptionem: seu ut Logici loquuntur, omittendo majorem, vel minorem: v. g. *Clodius insidias struxit Miloni; ergo Clodius jure fuit occisus*: vel *Quicumque alteri struit insidias, jure ab illo occiditur*: *ergo Clodius jure fuit occisus a Milone.*

*Quodnam est optimum Enthymematis genus?*

R. Illud est quod fit a contrariis, cujusmodi est apud Sallustium illud Micipsae ad Jugurtham:

Quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris?

Erit etiam acutius ac validius Enthymema si fiat per interrogationem. Tale est illud Medeae apud Senecam.

Servare potui, perdere num possim rogas?

*Cur Enthymemate magis gaudere vulgo dicitur orator quam syllogismo?*

R. Tribus de causis. 1. Ut. occultet artificium, quod scilicet agnitum, causae magis obest quam prodest.

Hinc etiam cum utitur Syllogismo, partes ejus transponit. 2. Ne videatur auditorum ingeniis diffidere, quasi necesse sit omnes Syllogismi partes singillatim exprimi. 3. Quia Enthymema validius percellit adversarios; illosque punctim, ut ajunt, caesimque ferit. Unde *jaculum ac telum* oratoris vocari solet. Vide quo modo Tullius Enthymemate ferit Antonium:

Pacem vult Antonius? arma ponat:

quasi diceret; *non arma ponit Antonius; ergo non vult pacem.*

*Affer Enthymematis exemplum.*

R. Ita Cicero in oratione pro Sex: Roscio Enthymemate utitur.

Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violat, amicitiam, et fidem. Nam neque mandat quisquam nisi amico, neque credit nisi ei quem fidum putat. Perditissimi est igitur hominis simul amicitiam dissolvere, et fallere eum qui laesus non esset, nisi credidisset.

Et Segnerus noster in Concione XII. §. 3.

So ben io, che è cosa da medico più funesto, che circospetto, il dare a un tratto l' infermo per ispedito, benchè appariscano in esso mortali i segni.... Contuttociò se di veruno si debbono aver giammai minori speranze, di chi sarà, se non di coloro, i quali soglion peccare con maggior animo? E chi non sa, che il peccare animosamente è indizio d' uomo abituato nel male? Nessuno la prima volta ch' ei pecca, pecca con isfacciatezza, ma con rossore. Troppo grande è l' orrore che la natura non ancora perversa porta alla colpa. Vi condiscende bensì, ma con timidezza; la commette bensì, ma con sospensione. Quindi è che da principio, per male usare, si fugge la frequenza, si cercan l' ombre, si temono le pareti. E quando ancora il peccato ne

riesca di emolumento, (come fu osservato da Seneca), godiamo l'emolumento, nascondiamo il peccato: *Omnes peccata dissimulant, et quamvis feliciter cesserint, fructu illorum utuntur, ipsa subducunt* ( Epist. 97 ). Nè crediate, che questo allor solo accada, quando temiamo di dover soggiacere a qualche gastigo, se per sorte risappiasi il nostro fallo. Signori no. Benchè noi siamo sicuri di dovere andar impuniti, contuttociò se noi siamo novizii ancora nel male, amiamo che non si sappia: usiamo gran diligenza per occultarlo, ci colmiamo di altissima confusione se si rivela. Il che non si può riferire ad altro, che a quell' orror naturale che gli portiamo.

Animadvertendum tamen est in hoc Enthymemate, et collectionis conclusionem et Enthymematis praetermissam ab oratore esse, ut res videatur carere arte, ubi major ars inest. Usus Enthymematis sane frequentissimus est apud Ciceronem, ac in iis locis praesertim, quae ad convincendum, ad instandum, ad commovendum inducuntur. Quare quantum studii et operis in hoc collocandum sit, facile res ipsa demonstrat.

## §. III.

### *De Epichiremate.*

*Quid est Epichirema?*

R. Vulgo Dialectici Epichirema vocant argumentationem compositam, cujus propositioni aut assumptioni, ratio adjicitur, ita ut modo quatuor, modo quinque partibus constet. Est igitur Syllogismus, in quo vel majori, vel minori vel utrique explicatio quaedam et probatio addita est. Ex. gr. *Flagitiosissimus habendus est, si quis de parricidio arguatur: in*

*hoc enim scelere flagitia omnia alia continentur. Atqui flagitium nullum in Sex. Roscio reprehendi potest, quippe eum ab aliis aetas et vitae ratio liberat, ab aliis accusator ipse purgavit. Ergo Roscius de parricidio argui non potest* = Apud oratores haec argumentandi forma cum Syllogismo oratorio ita convenit, ut facile alterum pro altero usurpent.

## §. IV.

### *De Dilemmate.*

*Quid est Dilemma?*

R. Est argumentum constans duabus partibus contrariis, quae utrinque adversarium capiunt. Unde etiam Syllogismus cornutus appellatur, quod nempe illius cornua sint ita disposita, ut qui unum effugerit, in alterum incurrat. Sic belle omnino probabis Dilemmate quemvis dolorem aequo animo esse tolerandum. *Nam omnis dolor aut est vehemens, aut levis; si levis, facile feretur; si vehemens, certe brevis futurus est.* Ita Cic. Philip. 5. probat hoc dilemmate non esse mittendos legatos ad Antonium.

Legatos decernitis. Si ut deprecentur, contemnet; si ut imperetis, non audiet.

Non omittendum hoc loco invictum illud Dilemma, quo Tertullianus in Apologetico cap. 1. purgat Christianos, et incusat Trajanum, qui illos conquiri et investigari vetuerat, oblatos vero puniri jusserat.

O sententiam, *inquit*, necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit, et saevit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? Si damnas, cur non et inquiris? Si non inquiris, cur non et absolvis?

*Unde nomen suum traxit Dilemma?*

R. Ab adverbio Graeco δὶς *bis*, λῆμμα *sumptio, captio*, quod nimirum utrinque capiat adversarium. Vide quomodo Tullius hoc repentino Dilemmate Antonium petens, illum undique capiat.

Interfectores Caesaris, vel sunt patriae liberatores, vel parricidae: si patriae liberatores, stulte arguor a te socius eorum fuisse: si parricidae, male a te honoris câusa nominantur. Vel stulte igitur a te reprehendor, vel male illi honoris causa nominantur.

*Qua ratione solvi potest Dilemma?*

R. Duplici. 1. Si universum Dilemma torqueas in ipsum auctorem: cujusmodi exemplum affert Aristoteles lib. 2. Rhetoricorum.

Sacerdos quaedam maximopere dissuadebat filio ne ad populum verba faceret: nam si injusta suaseris, *inquiebat*, habebis Deos iratos: sin vero justa, iratos habebis homines.

Hoc Dilemma sic in matrem ipsam torsit ingeniosus adolescens:

Imo, *inquit*, expedit ad populum verba facere; nam si justa dixero, Dii me amabunt; si injusta, homines.

Ejusmodi fuit etiam celeberrimum illud Dilemma unde se expedire numquam potuerunt Areopagitae, qui licet mortalium sapientissimi vulgo haberentur, ortam tamen ex illo Dilemmate litem prorsus injudicatam reliquerunt. Cum enim in Prothagorae Rhetoris disciplinam se quidam adolescens tradidisset, grandemque pecuniae summam illi ex pactione fuisset pollicitus, ea lege, ut primam omnium quam esset habiturus, litem obtineret, jam plene ac perfecte praeceptis intimae artis eruditus, mercedem omnino negat. Litem intentat illi magister:

Et debes, *inquit*, omnino mercedem, quo res cumque vertant. Si enim vicero, debes ut condemnatus: si viceris, debes ex pacto. Imo, *inquit versipellis discipulus*, quo res cumque vertant nihil habebis; si enim causam vicero, ex judicum sententia nihil debeo: si vero causa cado, jam tibi ex pactis debeo nihil.

2. Solvitur Dilemma, si alterutram illius partem infirmare possis, vel si ostendas aliquid medium inter duas propositiones intercedere. Sic cum servus ab hero forte percussus, illum hoc repentino dilemmate petiisset:

Si sum improbus, cur mea uteris opera? si probus, cur aut quorsum tandem me percutis?

Hoc dilemma sic in servum acute retorsit herus.

Non te percutio quia probus es, sed ut ex improbo fias aliquando probus.

*Afferas velim exemplum italicum.*

R. Joannes Casa in oratione I. pro Foedere hoc modo, more oratorum, dilemmate utitur.

Conciossiacchè le paci dell' Imperadore sieno sotto i vestimenti armate, e le mani abbiano adunche, e l' unghie pungenti e sanguinose, e che le sue amicizie non preghino, ma comandino anzi sforzino, nè con lui possa alcuno avere insieme concordia e libertà, di necessità conviene, che voi dei due partiti l' uno abbracciate, cioè che voi eleggiate d' essere, o nemici, o soggetti all' Imperadore, e deliberiate qual voi amiate meglio o la guerra o la servitù.

## §. V.

## *De Sorite.*

*Quid est Sorites?*

R. Est argumentatio, qua ex multis propositionibus, gradatim, minutatim, et velut acervatim congestis, aliquid infertur. Unde Syllogismus acervalis vocatur a

Tullio. Hoc acervali captiosoque argumentandi genere utebatur olim Themistocles, dum per risum jocumque dictitabat filium suum, licet nondum triennem, toti tamen terrarum orbi imperare. Sic enim lepide ajebat.

Meus filius imperat matri, illa mihi, ego Atheniensibus, Athenienses Greciae, Graecia Europae, Europa toti orbi. Ergo filiolus meus imperat toti terrarum orbi.

In hoc disputandi genere frequentes erant Stoici, et illorum Princeps Zeno. Sed maxime omnium illo delectatus dicitur Chrysippus, ut Socrates Inductione, et Ironia. Sed hoc genus argumenti saepe solet esse captiosum, et fallax. Dum enim sensim, et minutatim multa coacervantur, facile est injicere respondenti laqueos, et periculosam illi telam texere. Retexere igitur oportebit, et seorsim singula considerare, sicque facilius universa frangentur.

*Cedo exempla aliqua Sorites.*

R. Cicero in libr. 5. Quaestionum Tusculanarum ita per Soritem argumentatur *solum esse bonum id quod honestum est.*

Quod bonum sit, id expetendum: quod expetendum, id certe approbandum: quod approbandum, id certe gratum, acceptumque habendum: ergo etiam dignitas ei tribuenda est: bonum igitur omne laudabile: ex quo efficitur, ut quod sit honestum, id sit sòlum bonum.

Et Claudius Tolomeus in oratione in Leonem scribam ita per Soritem convincit illum vulgasse virtutis mysteria.

È vero che tu abbi divulgati i secreti misterii della virtù, o nò? Non risponde, perchè negar nol può, confessar nol vorrebbe. Certo debbe esser vero.

## §. VI.

### *De Inductione.*

*Quid est Inductio?*

R. Est argumentatio qua ex multis singularibus enumeratis aliquid concluditur. Ita Seneca variarum rerum emuneratione magnifica, concludit solam in homine virtutem esse laudandam.

Navis bona dicitur non quae pretiosis coloribus picta est; nec cui argenteum aut aureum rostrum est; sed quae stabilis est, firma, velox, et consentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus est *baltheus*, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secandum subtilis est acies. Regula non quam formosa, sed quam recta sit quaeritur. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet quantum aret, a quam multis salutetur, sed quam bonus sit.

Inductio non solum oratoribus perfamiliaris est, sed etiam poetis. Sic apud Virgilium Aeneas probat per Inductionem viventi sibi iter ad inferos nequaquam interclusum esse debere.

Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus
Threicia fretus cithara, fidibusque canoris;
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Thesea magnum,
Quid memorem Alcidem? et mi genus ab Jove summo.

*Quid observandum est in Inductione?*

R. Duo diligenter cavenda sunt. 1. Ut quae sumuntur, certissima sint. 2. Ut id cujus confirmandi causa fit Inductio, iis quae sumuntur, simile sit.

*Cedo exemplum italicum Inductionis.*

R. Ita Paulus Segnerus in Concione XVI. §. 4. ostendit vanam esse hominis audaciam, qua confidit sibi in iis Deum auxiliaturum, ubi peculiaris non eget ad agendum auxilii.

E se ne bramate pur qualch' esempio, d' innumerabili, che potrebbono addursi dalle divine Scritture, miratelo ne' Re Magi. Già voi sapete, ch' ebbero questi una stella per loro guida nell' andarsene a Cristo; ma non già l' ebbero nel tornare alla patria. Così convengono tutti. E pure dovendo essi fare al ritorno una strada nuova, e forse ancora più faticosa, più foresta, e più incognita, parea che non meno ne fossero bisognosi. Ma che? nell' andare a Cristo dovevano pervenire ad un termine, che da nessun uomo del mondo potea loro venire significato, ch' era la spelonca santissima di Betlemme, quanto allora celebre al cielo, tanto sconosciuta alla terra; e però vi ebbero quella lumiera celeste per conduttrice. Ma non così nel ritornare alla patria; perchè essendo un tal termine loro notissimo, se non sapevan la strada, facilmente potevano ritrovarla, o con pagar guide, o con interrogare viandanti, o almeno con premettere esploratori. Così parimente spezzò l' Angelo a Pietro le sue catene nella prigione, spezzogli i ceppi; ma non già ajutollo a vestire: perchè a porsi i panni potea Pietro arrivare con le sue forze. Così parimente salvò l' Angelo a Paolo la sua nave tra le procelle, salvogli i naviganti; ma non già ajutollo a sbarcare; perchè a prender terra potea Paolo arrivare con le sue industrie. E Cristo, come potè dal sepolcro trar vivo Lazzaro, già fracido, già fetente, qual dubbio c' è, che potea non meno con somma facilità far volare in aria la lapida sepolcrale? Contuttociò volle, che levar questa fosse opera degli astanti: *Tollite lapidem* ( Jo. 11, 39 ), perchè non era opera la quale punto eccedesse la loro virtù. Vedete dunque da tutte queste così belle induzioni, che noi da Dio non ci dobbiam mai promettere un soccorso straordinario, dove sarebbe bastevole un dozzinale.

## §. VII.

### *De Exemplo.*

*Quid est Exemplum?*

R. Exemplum est argumentatio, quae ex parte partem colligit, habetque vim similitudinis, sive in re, sive in facto aliquo versetur. Dicitur etiam Inductio imperfecta, qua ab uno simili argumentamur ad aliud. Cujusmodi exemplum habes in Miloniana, ubi probat Tullius non esse condemnandum Milonem quod Clodium occiderit, cum nec Horatius ob sororem necatam fuerit condemnatus. Sed vide quomodo exemplum illud illustret Cicero.

Negant intueri lucem esse fas ei, qui a se hominem esse occisum fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? Nempe in ea quae primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi R. comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse interfectam fateretur.

Similiter apud Sallustium in Conjuratione Catilinae Cato ab exemplo capitis sententiam popularibus conjurationis dicit.

Apud majores nostros Aulus Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit; atque ille egregius adolescens immoderatae fortitudinis morte poenas dedit; vos de crudelissimis parricidis quid statuatis cunctamini?

Et Albertus Lollius in oratione ad Ferrariensis Academiae socios.

Ma per cagione di brevità dirò solo che dove è maggiore il pentimento, quivi stimar si dee che sia più grave il fallo. Or non sappiamo noi, che Caton Censorino

lucidissimo specchio della prudenza romana, venuto a morte di niun' altra cosa tanto acerbamente con gli amici si dolse, quanto di aver talora trascuratamente in ozio passato qualche giorno?

## CAPUT XVI.

### DE CONFUTATIONE

*Quid est Confutatio, et quomodo fit?*

R. Est pars orationis in qua rationes contra nos pugnantes refellimus.

1. Fit negatione mera, cum scilicet rem allatam ab adversario, falsam omnino esse dicimus; aut illam absurdam, incredibilem, repugnantem esse demonstramus. Ita Cicero pro Quinctio rem negat aperte.

Negamus te bona Quinctii, Sexte Naevi, possedisse edicto Praetoris.

Sic etiam pro Roscio perspicue demonstrat parricidii crimen, cujus insimulatur Roscius, ab illius vita moribusque prorsus alienum esse: quem locum quia longior est omitto.

2. Fit Confutatio, cum factum non negamus, sed excusamus, et jure factum fuisse contendimus. Sic Tullius pro Rabirio, Saturnini mortem quae illi objiciebatur, adeo non expavescit ut scelus, ut potius illius auctorem exoptet fuisse Rabirium.

Arguis occisum esse a C. Rabirio L. Saturninum, et id C. Rabirius multorum testimoniis, Q. Hortensio copiosissime defendente, antea falsum esse docuit. Ego autem, si mihi esset integrum, susciperem hoc crimen, agnoscerem, confiterer. Utinam hanc mihi facultatem causa concederet, ut possem hoc praedicare, C. Rabirii manu L. Saturninum hostem populi R. interfectum.

3. Fit Confutatio, cum adversarios, pari vel etiam majori re objecta, vicissim lacessimus; ut periti duces solent, qui hostium vires distrahunt, et alio avertunt. Ita Cicero in oratione pro Ligario, cum nullo pacto negare posset, Ligarium fuisse in Africa, Tuberonem ipsum Ligarii accusatorem fuisse contendit, graviusque in Caesarem se gessisse.

Sed ut omittam communem causam, veniamus ad nostram: utrum tandem existimas facitius fuisse, Tubero, Ligario ex Africa exire, an vobis in Africam non venire? Poteramusne, inquies, cum Senatus censuisset? Si me consulis, nutlo modo. Sed tamen Ligarius, Senatus *idem* legaverat. Atque ille eo tempore paruit, cum parere Senatui necesse erat: vos tum paruistis, cum paruit nemo qui noluit. Reprehendo igitur? Minime vero. Neque enim licuit aliter vestro generi, nomini, familiae, disciplinae. Sed hoc non concedo, quibus rebus gloriemini in vobis, easdem in atiis reprehendatis etc.

4. Confutatio fit per indignationem, atque contemptum; cum nempe generosa quadam fiducia, quae nobis objiciuntur, spernere ac dedignari videmur. Hujusmodi singulare omnino, nobileque in primis habes exemplum in 38. Livii libro, ubi magnus il*le Scipio* Africanus post tot res praeclare gestas, invidorum, ut fit, calumniis appetitus, et in jus ad causam dicendam vocatus, sese ab objectis criminibus de more purgare nequaquam laboravit, sed ad longam accusationem, fidenter admodum libereque respondit, se tali die cum Hannibale feliciter conflixisse, de Carthagine triumphasse: proinde venirent omnes secum in Capitolium gratias actum Superis, et oratum ut semper sui similes Imperatores Populo R. darent: atque ita amicorum turba septus, totam secum multitudinem, adversariis frementibus, traxit. Sed audiamus Scipionem ipsum.

*Silentio facto*, hoc, *inquit*, die, Tribuni plebis, vosque Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque, cum hodie litibus, et jurgiis supersederi aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium, ad Jovem optimum maximum, Junonemque et Minervam, caeterosque Deos, qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo: hisque gratias agam, quod mihi et hoc ipso die, et saepe alias, egregie reipublicae gerendae mentem facultatemque dederunt. Vestrum quoque, quibus commodum est, ite mecum, Quirites, et orate Deos, ut mei similes principes habeatis.

Postremus denique modus refutandi fit per compensationem, cum scilicet neque factum negamus, neque factum contendimus; sed alio quodam praeclaro facto abunde compensari ostendimus. Sic Horatius qui sororem interfecerat, judicio Populi R. fuit absolutus, *magis admiratione virtutis, quam jure causae*, inquit Livius.

Aliquando etiam, uti antea dictum est, valde utile erit in Confutatione jocos, sales et facetias, etiam in rebus seriis adhibere, quae si nec in mimicam scurrilitatem degenerent, nec in atrocius maledictum, nec in nimiam dicacitatem, mirum quantum causae prosint, et animos auditorum exhilarent. Mirificus certe in hoc genere fuit Cicero, qui in jaciendis mittendisque ridiculis, caeteros omnes oratores longe superavit; et ut ipse ait, *adversarios interdum satis jocose ludebat*. Atque utinam illius jocorum libri tres a Quinto fratre, vel a Tirone liberto collecti, non fato temporum interiissent. Perfectissimum sane leporis, et elegantissimae cujusdam urbanitatis exemplum, et speciem in illis haberemus, ut aestimare facile licet ex pauculis illis quae ad nos usque pervenerunt.

*Cedo exemplum Confutationis Tullianae.*

R. En tibi ex oratione pro Sexto Roscio, ubi refellit quod Erucius attulerat, Sex. Roscium a patre in praedia rustica relegatum fuisse.

Nescio, *inquit*, quae caussa odii fuerit: fuisse odium intelligo: quia antea, cum duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse; hunc in praedia rustica relegarat. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi usuvenit in caussa optima. Ille, quo modo crimen commentitium confirmaret, non inveniebat: ego, res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. Quid ais, Eruci? Tot praedia, tam pulchra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo, relegationis ac supplicii gratia, colenda ac tuenda tradiderat? Quid hoc? Patresfamilias, qui liberos habent, praesertim homines illius ordinis, ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire, et in praediis colendis operae plurimum studiique consumere? an amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam? ut commodis omnibus careret? Quid, si constat, hunc non modo colendis praediis praefuisse, sed certis fundis, patre vivo, frui solitum esse? Tamen ne haec attenta vita et rusticana, relegatio atque amandatio appellabitur? Vides, Eruci, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa, atque a veritate. Quod consuetudine patres faciunt, id quasi novum reprehendis: quod benevolentia fit, id odio factum criminaris: quod honoris caussa pater filio suo concessit, id eum supplicii caussa fecisse dicis. Neque haec tu non intelligis, sed usque eo, quid arguas, non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra rerum naturam, contraque consuetudinem hominum, contraque opiniones omnium. At enim cum duos filios haberet, alterum a se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur.

*Nunc velim proferas Confutationis exemplum ex Segnero.*

R. Habeas in Concione XVI. in qua sententiam illorum refellit qui jactant se in peccandi occasionem incidere non posse, cum temperatis animi motibus utantur.

E per quanto appartiensi all' aver voi le passioni già moderate, ditemi un poco, quanto moderate le avete voi? Più di que' Santi che tutta quasi menarono la lor vita in orazioni ed in lagrime, in asprezze ed in penitenze? Nol credo già. E pur io veggo, che questi Santi tremavano a fronte d' ogni occasione pericolosa; e che con estrema ingenuità protestavano di non promettersi la vittoria, se non solo pugnando ad uso de' Parti, ch'è quanto dire non resistendo al nemico, ma sol fuggendolo. Vaglia per tutte quella pubblica confessione, che san Girolamo fece contro di Vigilanzio, il quale gli addimandava di che temesse, mentre potendo abitare ancor egli nella città qual animal conversevole, si era andato ad appiattare in un eremo quasi fiera insalvatichita. Sai di che temo? rispondevagli il Santo. Temo di veder te, temo di udir te, temo di non poter sopportare la tua baldanza. Che se pare a te per ventura che ciò sia nulla, temo i tanti altri pericoli di peccare tra cui tu vivi: temo i contrasti iracondi, temo i cicalamenti oziosi, temo le avarizie tenaci, temo le ambizioni superbe, temo i guardi lascivi: e quasi che l'avere espresso ancora ciò fosse poco, non vergognossi di giungere fino a dire queste precise parole che io non proferirei se non fossero di sua bocca. Temo l'incontro delle pubbliche meretrici, e che qualche bellezza ingannevole non m' induca ad abbracciamenti impudichi: *Ne me capiat oculus meretricis, ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus.* Ed istando pur Vigilanzio, che ciò non era un vincer con gloria, ma un fuggire con codardia: Pazienza, soggiungeva Girolamo, conviene ch' io confessi la propria fragilità: *Fateor imbecillitatem meam.* Non mi dà il cuore di venire a cimento con

sì poderosi nemici come fai tu, perchè ben potrei ritornarne vittorioso, ma più temerei di non rimanervi perdente: e però *fateor imbecillitatem meam, fateor imbecillitatem meam: nolo spe pugnare victoriae, ne perdam aliquando victoriam*; essendo meglio nelle battaglie di spirito il fuggire per non esser vinto, che non è l'esser vinto per non fuggire. Or se sì poco confidava un Girolamo di sè stesso in mezzo ad occasioni tali, cioè in mezzo ad occasioni, le quali alla fine non contenevano in sè pericolo prossimo, ma solamente rimoto, qual'era incontrare per via qualche donna vana; come dunque vi promettete voi sì gran sicurezza in occasion di pericolo non rimoto, ma vicinissimo, qual sarebbe ( per non ci dipartir dallo stesso esempio ) tener fissati gli occhi sul volto ad una simil persona, e 'l parlarle, e l'udirla, ed il conversarvi con assai licenziosa dimestichezza? Come non temerete voi de' sorrisi, s'egli temeva d'un guardo? Come vi fiderete voi delle visite, s'egli nemmeno fidavasi d'un incontro? Forse avete voi livido il vostro petto da più frequenti percotimenti di pietra, che non portava nel suo stampati Girolamo? Mostrate un poco, mostrate, dove in voi sono le gote, più delle sue, raggrinzate dalle astinenze? dove le ginocchia incallite più dall'orare? dove le braccia più stanche dal tormentarsi? dove gli occhi più gonfi dal lagrimare? Le notturne vigilie da voi costantemente durate, o meditando le Scritture, o spiegandole, passano ancora il numero delle sue? Quante notti di più avete voi costumato di non posar sopr' altro letto le membra, che sul gelido pavimento? quanti cilizii avete voi di più logorati? quanti pellegrinaggi più fatti? quanti salmi più recitati? E volete voi persuadermi di avere il senso più soggiogato allo spirito di quel che l'avesse un tal uomo? Non vi credo, no ( perdonatemi ), non vi credo, per quanto voi vi stanchiate in asseverarmelo: e però bisogna che ancora voi con Girolamo vi contentiate, benchè forti, di mettervi tosto in fuga.

## CAPUT XVII.

### DE AFFECTIBUS EXCITANDIS

*Quid nobis est dicendum antequam de Peroratione loquamur?*

R. Postulat nunc instituti nostri ratio, ut motuum sive affectuum concitandorum fontes aperiamus, dicamusque qua ratione faces ac stimuli sint auditorum animis subjiciendi, quod est in oratore praecipuum. Siquidem homines affectu magis, quam ratione ducuntur, quod approbant bonum non semper amplectuntur, exemplo Medeae illius Ovidianae,

. . . . . *Video meliora, proboque*
*Deteriora sequor*. . . . .

Sed antequam affectus omnes singillatim persequamur, pauca quaedam ut fit de illorum natura numeroque praemittamus.

*Quid est affectus?*

R. Est animae sentientis ex opinione boni vel mali nata commotio. Vel ut clarius dicam: est quidam animi impetus quo impellimur vehementius ad aliquid vel appetendum, vel aversandum.

*Quot sunt affectus?*

R. Sunt qui cum Stoicis, quatuor tantum statuunt affectus, duos circa bonum, nempe *spem* et *gaudium*, et duos circa malum, scilicet *tristitiam* et *metum*. Quatuor hosce motus eleganter expressit Virgilius Aeneid. 6 cum ait.

*Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque*. . .

Eosdem Boethius hisce quatuor versiculis est complexus.

*Gaudia pelle;*
*Pelle timorem;*
*Spemque fugato;*
*Nec dolor adsit.*

Philosophi vero longe plures statuunt affectus, de quibus ita dicemus, ut primo illorum definitionem afferamus, deinde quomodo sint excitandi quam accuratissime praecipiamus.

## §. I.

### *De Amore et Odio.*

*Quid est Amor, et quaenam sunt dotes ac conditiones Amoris?*

R. Est affectus quo alicui benevolumus, eique benefacimus, non nostra, sed illius causa. Ubi vides tres omnino esse germani amoris conditiones ac dotes. 1. Est ut ei quem amamus, optemus bona, vel saltem quae bona esse arbitramur. 2. Conditio est ut quae bona judicamus, non optemus illi dumtaxat, sed etiam pro virili parte procuremus. Ut enim ait Julius Scaliger.

*Tu si ex animo forte velis cui benefactum,*
*Addas operam: sola cadaver est voluntas.*

3. Conditio est ut ita simus animati non propter propriam utilitatem, sed illius causa quem diligimus. » *Nam*, ut ait Cicero, *si ad fructum nostrum referamus, non ad illius commoda quem diligimus: non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum.* »

Amor ab amicitia differt quod sit verus amor, etsi qui amat, non redametur; in amicitia vero requiri-

tur amor mutuus. Unde Aristoteles rogatus quid esset amicus pulchre respondit; *anima una in duobus habitans corporibus.*

*Quo pacto conciliandus est Amor?*

R. Amoris conciliandi causae ac viae praecipuae sunt. 1. Excellens quaedam et rara virtus. Ita Ilioneus Trojanorum orator, praeclaram Aeneae virtutem collaudando Didonem illi conciliare conatur, Aeneid. 1.

Rex erat Aeneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major, et armis.

2. Utilitas et collata beneficia. Ita Cicero Miloni benevolos mirifice facit judices, ab ejus in patriam beneficentia.

Hiccine vir patriae natus, usquam nisi in patria morietur?

Sic etiam ventorum rex Aeolus commemoratis Junonis erga se beneficiis, suum erga illam gratum ac memorem animum testatur.

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra, Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere Divum,
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

3. Nulla re magis comparatur amor quam amore mutuo, ut monet pervulgata illa Senecae vox. *Si vis amari, ama.*

4. Denique conciliatur Amor oris ac corporis dignitate, si sit cum virtute conjuncta. Unde rex Evander apud Virgilium ib. 8.

. . . . . . Sed cunctis altior ibat
Anchises. Mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, et dextrae conjungere dextram.

En igitur praecipuas Amoris causas, quas qui in sese habuerit, amabitur facile; easque si reperiat in aliis,

eos pariter redamabit. Hoc igitur oratoris munus erit, ut causas illas vel earum aliquas in iis esse demonstret, ad quorum amorem auditores conatur allicere. Paulus Segnerus in Concione II. §. 14, ita auditorum amorem Christi Domini excitare conatur.

Rimirate voi questo Cristo, uditori miei, questo Cristo così penante, questo Cristo così piagato? Girate quanto volete, quà finalmente noi ci dovremo ridurre. Verrà quell' ora, in cui sopraffatti dal male, in cui spediti dai medici, ci troveremo senz' altro più di questa vita mortale, che il pentimento di averla male impiegata. E quale allor degli amici sarà colui che a noi venga per consolarci? Qualcuno forse, il quale spererà qualche luogo nel testamento. Nel rimanente, oh che alta desolazione! Lo squallor della camera mezzo infetta dalla varietà de' medicamenti, il fetor delle nostre carni, il fracidume del nostro fiato, farà che insino i più caritatevoli religiosi malvolentieri si appressino al nostro letto. Solo un piccolo Crocifisso ci verrà finalmente a restare in mano, ed egli solo non avrà fra tante nostre sordidezze ad orrore di esser da noi tocco, da noi baciato. Che sarà pertanto di noi, se allor la nostra coscienza ci accuserá di averne fatto sino a quel dì sì vil conto? Oh Dio! che angosce! che crepacuori! che fremiti! Veder chiaro d' esser noi già derelitti da ciascun altro, di non avere altra speranza che in Dio, altro conforto che Dio, altro ben che Dio, e nondimeno dover dire a Dio stesso: Io vi disprezzai, e vi disprezzai per piacere ad uomini ingrati! Oh come allora gli chiederemo un anno almeno di vita, un anno, un anno, con cui potere far manifesto a ciascuno di non curarci più di amici mortali! Oh che proponiti degni! oh che voti pii!

*Quid est Odium et quanam arte concitandum?*

R. Est affectus animi aversantis id quod malum esse putatur. Ex iis quae de Amore diximus, facile cuivis patebunt Odii fontes, quod erit a contrariis ca-

pitibus excitandum, nimirum ab insignibus vitiis, ab improbitate, superbiaque, ab illatis injuriis. Cujus rei mirificum habes exemplum apud Cornelium Tacitum in Agricolae vita, ubi magnanimus ille Galgacus suorum Britannorum animos adversus Romanos, hac eximia oratione irritare conatur.

Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur. Si locuples hostis est, avari: si pauper, ambitiosi: quos non Oriens, non Occidens satiaverit. Soli omnium opes atque inopiam pari affectu concupiscunt. Auferre, trucidare, rapere falsis nominibus imperium; atque ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Liberos cuique ac propinquos suos natura carissimos esse voluit; hi per delectus alibi servituri auferuntur. Conjuges sororesque, etsi hostilem libidinem effugiant, nomine amicorum atque hospitum polluuntur. Bona fortunasque in tributum egerunt; in annonam frumentum. Corpora ipsa ac manus silvis ac paludibus emuniendis, verbera inter ac contumelias conterunt. Nata servituti mancipia semel veneunt, atque ultro a dominis aluntur. Britannia servitutem suam quotidie emit, quotidie pascit....

Segnerus noster in Concione XVI. §. 7 hoc modo concitat odium audientium in obscoenas sensuum voluptates, quae fragilitatis humanae nomine falso excusantur.

Che gran male è una fragilità di senso? Che sieno peccati gravissimi le bestemmie, gli spergiuri, gli sdegni, le ruberie, questo s'intende; ma che gran male è una fragilità sensuale, massimamente quand' ella nulla ridondi a danno d'altrui? Che gran male è una fragilitá sensuale! O angeli delle stelle, voi dite, voi, che gran male sia quello che tanta parte di gente oggidì non cura. E non foste voi quelli che apriste già le cateratte del cielo, affine di scaricare un diluvio sopra la terra? Ora per qual cagione le apriste, parlate un poco, non fu per

questo vizio, ch' è sì negletto? Certo è, uditori, che quando venne al mondo il diluvio, non vi mancavano ancora d' altri peccati. V' erano ruberie, v' erano sdegni, v' erano spergiuri, v' erano bestemmie, v' erano tutti, salvo ( come notò san Tommaso ) l' idolatria. Contuttociò per qual peccato singolarmente il diluvio venne? per lo peccato di senso. Così ci affermano le Scritture, così ci attestano i Santi. *Quia omnis caro corruperat viam suam* ( Gen. 6. 12 ). Se tante acque inondarono, però fu per levar via questo lezzo, questo letame, tanto è pestifero. E pur voi dite, che gran male è la fragilità sensuale? Andate un poco intorno intorno a raccogliere col pensiero quegl' infiniti cadaveri che vedete là galleggiare in un mar sì vasto; rammassateli, rammontateli, e inorriditi ad un cumolo che va quasi a ferir le stelle, dite pur che sia piccolo quel delitto ch' è sì punito. Voi disprezzate un tal vizio, perchè è fatto già quasi male comune a tutti. E io vi dico, che per questo medesimo, perchè è fatto già quasi male comune a tutti, conviene temerlo. Finchè le lascivie furono ristrette tra pochi, mai non venne al mondo un gastigo sì spaventoso, sì strano, qual fu il diluvio. Allora venne sol quando furono universali. Sebbene che fo? Parlo, uditori, con esso voi presenti, come se voi foste i lordi di quella macchia, di cui neppur siete forse i contaminati. Ma compatitemi, perchè io so bene, che quei che n'hanno bisogno non soglion troppo comparire alla predica. Contuttociò sapete voi come fo? Fo come un addolorato, il quale non potendo avere dinanzi a sè quei che gli son la cagione del suo rammarico, si sfoga come può con qualunque gli viene incontro, benchè neppur gli sia noto. Nel rimanente non è ( per ricondurci al nostro proposito ), non è che le persone comunemente nelle occasioni di cadere presumano di star forti; è, che amano la caduta, o almeno la sprezzano, tornando subito a dire, che gran male è? Però finiamola. Che gran male è una fragilità sensuale? Questo è quel male che più d' ogni altro avvilisce uno spirito nobile, qual' è l' uo-

mo: questo è quel che più offuscagli la immaginazione: questo è quel che più offendegli l'intelletto: e questo è quello che, più rendendolo somigliante alle bestie ne'suoi voleri, gli fa ancora perdere dentro corso brevissimo ogni suo bene: questo il tempo, questo la roba, questo la riputazione, questo la quiete, questo la sanità, questo la saviezza, questo la libertà, e per dir brieve, questo gli fa alfine perdere tutto sè, mentre questo è quel che lo fa, più facilmente di qualunque altro vizio, morir dannato.

## §. II.

### *De Ira atque Indignatione.*

*Quid est Ira?*

R. Dicere possem cum Horatio *ira brevis furor est*: sed malo cum Aristotele sic illam definire » *Ira est sui propter contemptum, ulciscendi cupiditas cum dolore conjuncta.* » Unde non maximopere differt ab odio, quod est *ira quaedam inveterata.*

*Quomodo excitatur, et incenditur Ira?*

R. Accenditur commemoratione illatae injuriae, si praesertim injuria sit cum contemptu conjuncta. Hinc nimirum apud Virgilium Aeneidos I. tantopere effervescit Junonis ira contra Trojanos, ob spretam a Paride Trojano formam suam, et Hebem filiam Ganymedi Trojano postpositam:

. . . . . . Manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretaeque injuria formae,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores.

Et rursum in eodem libro suam iram sic exsuscitat eadem Juno.

Ast ego quae divum incedo Regina, Jovisque
Et soror, et conjux, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Junonis adoret
Praeterea? aut supplex aris imponat honorem?

Quo quis vero est gloriae appetentior vel dignitate illustrior, hoc ob sui contemptum vehementius solet irasci.

*Affer illustre aliquod exemplum Irae concitatae.*

R. Illustre admodum praebet hoc loco Livius, cum inducit Actium Tullum his verbis Volscorum animos inflammantem.

Veteres Populi Romani injurias cladesque gentis Volscorum, ut omnia obliviscamini alia, hodiernam hanc contumeliam quo tandem animo fertis, qui per nostram ignominiam ludos commisere? Anne non sensistis, triumphatum hodie de vobis esse? Vos omnibus civibus, peregrinis, tot finitimis populis spectaculo abeuntes fuisse? Vestras conjuges, vestros liberos traductos per ora hominum? quid eos, qui audivere vocem praeconis? quid, qui vos videre abeuntes? Quid eos qui huic ignominioso agmini fuere obvii, existimasse putatis? Nisi aliquod profecto nefas esse, quo, si intersimus spectaculo, violaturi simus ludos, piaculumque merituri, ideo nos ab sede piorum, coetu, concilioque abigi. *Quid*, deinde, illud non succurrit, vivere nos, quod maturavimus proficisci? Si haec profectio et non fuga est, et hanc urbem vos non hostium ducitis, ubi si unum diem morati essetis, moriendum omnibus fuit. Bellum vobis indictum est: magno illorum malo, qui indixere, si viri estis.

Etiam eloquentissimus Italorum Segnerus luculentissimum exhibet exemplum, quod quamquam alibi descripserim, tamen iterum hic referre lubet. Est in Concione III. §. 11. eo loco perorationis, in quo invehit in illos, qui inimicis ignoscere renuunt, audientiumque iras in eos colligit.

Cr'stiani, c'è veruno, il quale ricusi di sottoscriversi? c'è veruno? Se v'è, si dichiari: che allora io divenuto tutto di fuoco con questo sangue medesimo scriverò per lui la sentenza di eterna condannazione. Pera il miserabile, pera chi niega a Cristo una domanda sì giusta; e questo sangue che lo doveva salvare, questo il condanni. Non trovi pietà, non impetri misericordia. Cada egli, prevalgano i suoi nemici, rimanga vedova la sua sposa, sieno orfani i suoi figliuoli, e i suoi nipoti vadan tutti ramingbi dalle loro terre, senza trovare nè tetto che gli accolga, nè veste che gli ricuopra. Si estermini la sua casa, si dissipi la sua roba, si disperda il suo nome: *Et dispereat de terra memoria ejus, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam* (Ps. 108, 15, 16.). Ritorni in mente a Dio la memoria di tutte le sue passate scelleratezze: e quando il misero avanti il Tribunale divino comparirà tutto carico di catene per essere giudicato: *Judicium sine misericordia fiat illi qui non fecit misericordiam* (Jac. 2, 13). Sia giudicato senza misericordia chi non fece misericordia. Torno a ripeterlo. Sia giudicato senza misericordia chí non fece misericordia. Vendetta gridino tutte le creature contro di esso, gridino vendetta gli angeli, vendetta i santi, vendetta le sante, vendetta i demonii, tutti vendetta.

*Quid est Indignatio?*

R. Est dolor perceptus ob secundas res, bonaque alterius, qui hac felicitate judicatur indignus; ut apud Maronem Egloga 1.

Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes?

Ejusmodi est etiam illud Eglogae 8.

Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Jungentur jam gryphes equis, aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damae

*Quomodo ab invidia differt Indignatio?*

R. Hoc differt quod Indignatio sit tantum in indignos eo quo fruuntur bono, ut vel ex ipso nomine liquet. Unde Indignatio praesertim suscipitur ab his qui sunt viri probi et honoris cupidi, quia boni ferunt indigne malos florere; et honoris studiosi indignantur immerentes anteferri sibi. Invidia vero est erga bonos, et sua felicitate dignos.

*Quomodo concitatur Indignatio?*

R. Excitatur duplici modo. 1. Si vitae prioris sordes et vilitas cum praesentis temporis opibus, potentia, et arrogantia praesertim conferantur. 2. Si hominis, in quem indignamur, vitia cum viri cui anteferiur virtutibus comparentur. Ex primo capite Tullius indignationem ita movet in Vatinium.

Atque illud tenebricosissimum tempus ineuntis aetatis tuae patior latere . . . . .

Deinde commemorat ut homo vilis et obscurus paulatim ad honores accesserit, tandemque illa subjungit.

Te cognati respuunt, tribules execrantur, vicini metuunt, affines erubescunt; strumae denique ab ore improbo demigrarunt, et aliis jam se locis collocarunt.

Quasi nempe adeo sit impurus ut vel ipsae strumae foedum hominum aversentur. Et in Philippica secunda ita indignationem omnium excitat in Antonium, quod ausus fuerat diversari in domo Pompeij Magni.

O audaciam immanem! Tu ingredi illam domum ausus es? Tu illud sanctissimum limen intrare? Tu illarum aedium Diis penatibus os importunissimum ostendere? Quam domum aliquandiu nemo aspicere poterat, nemo sine lacrimis praeterire, hac te in domo tamdiu diversari non pudet? In qua quamvis nihil sapias, tamen nihil tibi potest esse jucundum? An tu illa in vestibulo rostra,

spolia cum aspexisti, domum tuam te introire putas? Fieri non potest. Quamvis enim sine mente, sine sensu sis, ut es, tamen et te, et tua, et tuos nosti. Nec vero te unquam, neque vigilantem, neque in somnis, credo mente posse consistere: necesse est, quamvis sis ut es violentus, et furens, cum tibi objecta sit species singularis viri, perterritum te de somno excitari, furere etiam saepe vigilantem.

Similiter Horatius indignationem concitat adversus Voltejum Menam Pompeji Magni libertum in hac Od. cedro linenda.

Licet superbus ambules pecunia,
  Fortuna non mutat genus.
Videsne sacram metiente te viam
  Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc, et huc euntium
  Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumviralibus,
  Praeconis ad fastidium
Arat Falerni mille fundi jugera,
  Et Appiam mannis terit;
Sedilibusque magnus in primis eques,
  Othone contempto, sedet.

Ex secundo capite vehementer indignatur Ajax apud Ovidium, quod Ulysses secum ausit de Achillis armis contendere.

. . . . . . Agimus, proh Jupiter, inquit,
Ante rates causam, et mecum confertur Ulysses!
Proemia magna peti fateor: sed demit honorem
Aemulus Ajaci. Non est tenuisse superbum,
(Sit licet hoc ingens) quidquid speravit Ulysses.

*Cedo exemplum italicum Indignationis concitatae.*

R. Ex Segnero habeas, omnia enim in illo, et ex illo velim. Is cum mundi fraudes mirifice descripserit, et exemplo illustrarit latronis cujusdam in quem Henri-

cus Suso inciderat in Germaniae ad Rhenum silvis, ita indignationem in illum exaggerat.

Or vedete voi come tratta chi sia costretto trattar con un assassino? E così voi dovete trattar col mondo. Egli, se vorrà farvi una sincera confession generale di sè medesimo, vi dovrà dire, lui essere un ladronaccio, il quale in questa gran selva dell' universo non altro fa che assassinamenti infiniti, che però solo non lo dovrete obbligare indiscretamente a ridirne il numero. Vi dovrà dire, ch' egli allettò una volta un giovane incauto, qual fu Assalonne, a speranze grandi di corone e di scettri, e poi lo tradì, sì che lo ridusse a morire al fine appiccato per li capelli ad un'alta quercia, con tre zagaglie nel cuore. Vi dovrà dire, che pur a un albero fè sospeso morire un Achitofello, gran consigliere di Davide, dappoi che l' ebbe malvagiamente sedotto a ribellarsi dal principe, per salire a maggior fortuna. Vi dovrà dire, che pure a un albero fè morire appeso un Amano, gran favorito di Assuero, dappoi che l' ebbe malignamente incitato ad abbatter l'emolo, per ostentare maggior potenza. Vi dovrà dir parimente, che ad un tal figliuolo di Jambri, di cui nel primo de' Maccabei si ragiona, egli usò la più orribile fellonia, che trovar si possa. Perocchè persuasolo ad accasarsi, aspettò che il misero con bello accompagnamento si conducesse lieto a casa la donna da una vicina città, ed allor sopraggiuntolo alla foresta, lo diede in mano a numerosi nimici che lo ammazzarono; lo svaligiò, lo spogliò, e così ignudo lasciollo su la via pubblica. Questi ed altri più enormi assassinamenti, avvenuti ancora in persone del grado vostro, vi dovrà ad uno ad uno narrare il mondo, se, come io dissi, egli vorrà confessarvi, a simiglianza del mentovato ladrone, la verità: e però rimirate un poco, come dobbiate con lui procedere: se credere ad ogni suo invito, se accettare ogni sua proferta.

## §. III.

### *De Mansuetudine.*

*Quid est Mansuetudo?*

R. Mansuetudo seu lenitas, ac clementia est motus oppositus irae; neque aliter definitur quam *irae remissio atque mitigatio.*

*Quaenam est ars conciliandae clementiae?*

R. Mitigabitur ira, et conciliabitur mansuetudo 1. ingenua quadam culpae confessione ac dolore. Ita Cicero Caesarem iratissimum licet, tamen Ligario placavit.

Ad Judicem sic agi solet; sed ego ad patrem loquor: erravi, temere feci, poenitet: ad clementiam tuam confugio; delicti veniam peto, ut ignoscas oro: si nemo impetravit, arroganter; si plurimi tu idem fer opem, qui spem dedisti.

Et idem Tullius in peroratione orationis pro rege Dejotaro.

Non debeo, C. Caesar, quod fieri solet in tantis periculis, tentare, quonam modo dicendo misericordiam tuam commovere possim; nihil opus est; occurrere ipsa solet supplicibus et calamitosis, nullius oratione evocata. Propone tibi duos reges, et id animo contemplare quod oculis non potes. Dabis profecto misericordiae, quod iracundiae negavisti. Multa sunt tuae clementiae monumenta: sed maxime eorum incolumitates quibus salutem dedisti. Quae si in privatis gloriosa sunt, multo magis commemorabuntur in regibus.

2. Facit ad placandam iram humilitas et supplicis animi demissio, praesertim apud hostem magnanimum. Ut enim pulchre ait Ovidius lib. 3. Tristium.

*Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni.*
*Pugna suum finem, dum jacet hostis, habet.*

Addere poteris cum Virgilio tritum illud libri 6.

. . . . . . . *Romane, memento*
*Parcere subjectis et debellare superbos.*

3. Ad deliniendam iram maxime sunt adhibendi, qui minus habent roboris, et quos de vi inferenda cogitare nulla est suspicio; cujusmodi sunt pueri, feminae, senes, sacrorum antistites. Singulare exemplum habes Attilam illum Hunnorum regem, Dei flagellum nuncupatum, cujus effervescentem iram Divus Leo, veluti frigida superfusa, temporis puncto restinxit.

4. Facit plurimum ad iram molliendam, si scias, et captes molles aditus, et commoda fandi tempora, quale est tempus convivii, ludi, fausti alicujus successus, victoriae, festivitatis ac laetitiae publicae; quo tempore solent homines ad mansuetudinem esse propensiores.

5. Si prudenter ostendas quantum praestet mansuetudo cupiditati vindictae, ut recte monet Juvenalis hisce versibus aureis Satyrae 13.

. . . . . Quippe minuti
Semper et infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio; continuo sic collige, quod vindicta
Nemo magis gaudet quam foemina . . . . .

6. Denique valet plurimum ad clementiam si dicas, qui peccavit, non dedita opera, non dolo malo peccasse, nec id egisse ut eum contemneret, quem habet iratum; sed vel incautum, vel errore humano deceptum, vel necessitate adactum peccavisse. Vide qua dexteritate locum hunc tractet Tullius ad Caesarem M. Marcello placandum.

Atque hoc C. Caesaris judicium, P. C., quam late pateat attendite. Omnes enim, qui ad illa arma fato fuimus, nescio quo, Reipublicae misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, scelere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum, deprecantibus vobis, Reipublicae conservavit, memet mihi, et item Reipublicae, nullo deprecante, reliquos amplissimos viros et sibi ipsis et patriae reddidit, quorum et frequentiam et dignitatem hoc ipso in consessu videtis; non ille hostes induxit in curiam, sed judicavit a plerisque ignoratione potius et falso atque inani metu, quam cupiditate aut crudelitate civile bellum esse susceptum.

*Ostendas ab aliquo Segneri exemplo quomodo mansuetudo et clementia excitantur.*

R. En duo. In Concione IX. §. 6. animos auditorum conatur mitescere et conciliare piis animabus quas purgatorius ignis emundat.

Potremo forse non abborrire un Nabale che negò a Davidde un piccolo rinfresco di viveri? Potremo non ci sdegnar con un Epulone, che negò a Lazzaro pochi frusti di pane? E pure ahi quanto è peggiore la nostra inumanità verso i morti a noi supplichevoli, mentre con tanto poco si tratta non di ricreare un assetato, o di ristorare un famelico; ma di beatificare un che tollera insieme tutti i tormenti, e di sete, e di fame, e di geli, e di ardori, e di febbri, e di convulsioni, e di ulceri, e di quanti mali si possono figurare dentro un ergastolo, che non in altro cede all'inferno di pena, fuorchè nella eternità; se pure è vero cio che affermò san Gregorio, quand' egli scrisse che *eodem igne et crematur damnatus, et purgatur electus.* Non è questo quasi un godere di veder que' meschini ne' loro tormenti? Certo è, che chiunque può con sì poco impedire il male di un altro e non lo impedisce, presso è a volerlo: *Qui non vetat, vetare cum possit, jubet* ( ex Senec. Troad. act. 2, sc. 2 ). Noi

manteniamo dunque acceso quel fuoco, mentre non rechiamo acqua ad estinguerlo. Noi teniamo stretti quei ferri, mentre non istendiamo il braccio ad iscioglierli. Noi siamo, noi, che impediamo a quei buoni morti la grazia ch'essi otterrebbono di uscire dalla lor cruda cattività, mentre neppure vogliamo loro a tal fine prestare un soldo. E non temiamo però un rigoroso giudizio sopra di noi? *Mortuo ne prohibeas gratiam* (Eccl. 7, 37), così trovo io che l'Ecclesiastico appunto ci raccomanda. E noi tuttavia vogliam essere sì crudeli?

**Et in Concione III de ignoscendis inimicis §. 10.**

Io già a nome d'esso (Cristo) v'ho esposta la mia ambasciata: *Diligite inimicos vestros.* Qual risposta dunque volete ch'io gli riporti? Gli ubbidirete? vi umilierete? perdonerete? Ditemi, che farete? Ancor esitate? Oh Dio! E pure avete finalmente a Cristo qualche obbligo. A voi parla, lo chiede a voi; *Dico vobis.* Se lo domandasse a gente straniera, per cui non avesse operato niente, pur pure. Ma lo domanda a voi: a voi, cui ha dato il corpo, l'anima, le ricchezze, la sanità, i figliuoli, gli amici, le lettere, le grandezze, e quanto di bene voi possedete nel mondo. A voi per cui salute ha ingojato tanto d'affronti: a voi per cui riscatto ha sborsato tanto di sangue. E pure non potrà impetrarlo nemmen da voi?

## §. IV.

### *De Misericordia.*

*Quid est Misericordia?*

R. Est dolor animi et aegritudo quaedam ex malo alterius, praesertim immerito laborantis. In hoc excitando commiserationis affectu triumphare solet magni oratoris industria. Siquidem ut vulgo dicitur, lacrimae auditorum sunt laus oratoris vel maxima.

*Quaenam sunt artes ad Misericordiam conciliandam idoneae?*

R. Variae ac multiplices sunt artes. Prima est si qui malum patitur, eo plane indignus esse dicatur. Unde ad ciendam misericordiam valet hoc Virgilii:

. . . . . Nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.

2. Est, si de patria vel de nobis privatim bene meritus fuisse ostendatur. Hoc artificio mire usus est senior Horatius apud Livium, ut filium ob interfectam sororem, parricidii reum, ab imminenti morte liberaret.

Huncine quem modo decoratum, ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum, inter verbera et cruciatus videre potestis? Quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent? I lictor, colliga manus, quae paulo ante armatae imperium Populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris hujus urbis: arbori infelici suspende: verbera vel intra pomoerium, modo inter illa pila, et spolia hostium: vel extra pomoerium, modo intra sepulchra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum a tanta foeditate supplicii vindicent?

3. Ars est si calamitatis magnitudo, vel diuturnitas caeteraeque hujusmodi circumstantiae luculenter exponantur. Exemplum exhibet Livius idem, ubi Veturiam filium Coriolanum alloquentem describit.

Sine, priusquam complexum accipiam, sciam ad hostem, an ad filium venerim: captiva, mater ne in castris tuis sim: in hoc me longa vita, et infelix senecta traxit, ut exulem te, deinde hostem viderem? Potuisti populari hanc urbem, quae te genuit atque aluit? Non tibi, quamvis infesto animo et minaci perveneras, ingre-

dienti fines ira cecidit? Non, cum in conspectu Roma fuit, succurrit: intra illa moenia domus ac penates mei sunt? Mater, conjux, liberique? Ergo, ego nisi peperissem, libera in libera patria mortua essem? Sed ego nihil jam pati, nec tibi turpius, nec mihi miserius possum: nec ut sim miserrima, diu futura sum: de his videris, quos si pergis, aut immatura mors, aut longa servitus manet.

4. Ars haec est, si tristia quaedam recentis miseriae signa, monimentaque ob oculos auditorum ponantur, ut cruentae vestes, vel ipsum mortui cadaver aut imago. Nam ut monet Horatius ad Pisones;

*Segnius irritant animos demissa per aures,*
*Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus. . . :*

Sic M. Antonius, qui postea triumvir fuit, prolata Julii Caesaris veste pugionibus ac gladiis perforata, sanguineque cruentata, Romanam Plebem ita accendit, ut ad conjuratorum aedes inflammandas e vestigio provolaverit.

Sic etiam, Aeneam flectere Dido conatur apud Ovidium in Heroide, hac lamentabili sui imagine ac pictura.

Aspicias utinam quae sit scribentis imago,
Scribimus et gremio Troicus ensis adest.
Perque genas lacrymae strictum labuntur in ensem,
Qui jam, pro lacrymis, sanguine tinctus erit.

Segnerus noster ostendens immanes cruciatus, quibus Jesus Christus affectus est, misericordiam audientium et lacrymas excitat in Concione XXXV. §. 1.

Ma ohimè, che nell' ampio mare de' suoi dolori egli non è solo sbattuto ed agonizzante, ma sommerso e annegato; sicchè di lui più non resta altro finalmente a vedere, che il suo cadavero. Siate pur dunque crudeli quanto a voi piace, che non potrete negargli al-

meno una lagrima di tenera compassione. Credereste? I suoi manigoldi medesimi, quegli stessi che gli hanno di loro mano aperte le vene, e squarciate le carni, e slogate l' ossa, se ne calavano dianzi anch' essi dal monte col capo chino, percotendosi il petto, in sembianza d' uomini o confusi o compunti: *Revertebantur percutientes pectora sua* (Luc. 22, 48). E come dunque non verrete a commuovervi ancora voi, che pur non siete di animo sì ferino? Ah già mi avveggo che v'incominciano a comparire su gli occhi minute stille, annunziatrici di singulti e di gemiti omai vicini; però lasciate pur loro libero il freno: che se aveste mai giusta cagione di piangere, questa è dessa.

## §. V.

### *De Laetitia et Aegritudine.*

*Quid est Laetitia, et quibus artibus excitatur?*

R. Est affectio animi alicujus boni praesentis vel imminentis opinione concepta. Interdum debet orator auditorum animos reficere, et laetitia permulcere, quod oblata occasione efficit, seu ob secundos rerum eventus, sive ob partam victoriam, vel bellum diuturnum honesta pace confectum, vel ob reditum adventumve insperatum civis de patria optime meriti, aut ob recuperatam Principis valetudinem: denique quovis magno bono vel accepto, vel quasi accepto. Ex his omnibus orator arripit causam recreandi auditores, quae quidem major est, si beneficium ex insperato assecuti sumus. Majore etiam gaudio afficimur, quo prope metum res fuit, et quo vehementius expetivimus. Haec veluti ansam oratori dant ad gaudium, laetitiamque excitandam, quod videre licet in oratione secunda Ciceronis in Lucium Catilinam. Quis enim

perlectis prioribus verbis, non gaudet animo, et gratulatur Catilinam Roma aufugisse, conjurationem patefactam ante oculos omnium versari, patriam e perditissimorum civium manibus ereptam, et incolumem esse? Certe laetitiae et exultationis plena sunt ista.

Tandem aliquando, Quirites, Lucium Catilinam furentem audacia, scelus anhelantem, pestem patriae nefarie molientem, vobis atque huic urbi ferrum flammamque minitantem, ex urbe, vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe verbis prosecuti sumus. Abiit, excessit, evasit, erupit. Nulla jam pernicies a monstro illo atque prodigio moenibus ipsis intra moenia comparabitur.

Et apud Segnerum in Concione X. §. 9. quis animo laetitiam non concipit, dum ista vel legat, vel intelligat?

Pace dell'uomo con Dio, pace degl'inferiori co' superiori, pace del corpo coll'anima, pace dell'appetito colla ragione. Così verisimilmente vi andran per via discorrendo gli angeli, dati a voi per illustri ricevitori; quando in confermazione di ciò vedrete, che alla nuova del vostro arrivo tutti i beati verranno subito a gara per incontrarvi, a cori più festosi, a cori più folti, di quei che già nella bassa Gerusalemme corsero incontro al pastorello Davidde allorchè tornò dal suo famoso trionfo. E che sarà allora di voi, quando per sorte voi ravvisiate fra questo alcuno di que' vostri amici sì cari o di que' vostri parenti così diletti precorsi a voi nel morire? Oh come loro stenderete al collo le braccia per allegrezza! oh che saluti darete loro! oh che baci d'amor sincero, vedendovi già renduta l'eterna compagnia di coloro di cui tanto piagneste una breve assenza! Oh mio dolcissimo sposo, dirà quella vedova; o mia carissima madre, dirà quel figliuolo, è pur vero ch'io vi riveggo? E qui siete voi, mio sviscerallissimo amico? dirà

quell'altro. Oh quanto vi racquisto più bello di quello che io vi perdei! Vi ricordate quando giù tra noi dicevamo, che sarebbe stato di noi per tutta l'eternità? Eccoci, eccoci insieme, senza timore, che più alcuno ci disunisca.

Hoc, ita vivam, coelestis gaudii, haud leve specimen est: his enim verbis nescio quid beatae divinaeque laetitiae inesse videtur.

*Quid est Aegritudo, et quanam ratione excitatur?*

R. Aegritudo seu moeror est affectio animi ex opinione recenti mali praesentis vel imminentis, quae iisdem artibus quas supra demonstravi facile in auditorum animos injicitur. Publicum enim infortunium vel ex terrae motu, vel ex agrorum sterilitate et vastatione, vel communi quadam calamitate exortum facile mentes omnium turbat et tristitia afficit. Moerore etiam conficimur, vel desiderio alicujus summi viri immatura morte erepti, in quo civium charitas et spes omnis posita sit. Quare optime Tullius de Scipione ait » *quantum civitati fuerit carus, moerore funeris indicatum est.* » Hinc orationes funebres ortum ducere, optimamque materiam sumere patet. Quare si orator auditorum animos contrahere, tristitiamque ciere cupit, praesentia damna, vel imminentia ante auditorum oculos revocet, et quo magis orationis coloribus rem ad veritatem effinxerit, eo magis animos moerore conficiet. Ita Sallustius in libro de conjuratione Catilinae miserabili penicillo urbis moestitiam ex patefacta conjuratione describens lectorum mentes summa aegritudine ac moestitia complet.

Quibus rebus permota civitas, atque immutata facies urbis: ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit. Festinare, tre-

pidare, neque loco, neque homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus pro Reipublicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, afflictare sese, manus supplices ad coelum tendere; miserari parvos liberos, rogitare, omnia pavere; superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere.

Et Tullius ille noster, Paulus Segnerus, mira quadam vi et arte animos contrahit, si legas quae in Concione XXVIII. §. 6. his verbis exprimit:

Deh potess' io con l' afflitto mio spirito entrar in cambio vostro ne' vostri cuori, ch' ivi vorrei pianger per voi: e pieno d' inconsolabile crepacuore: *ubi est*, vorrei domandare, *ubi est Deus tuus*? Dov'è ita quella schiera sì nobile di virtù, le quali un tempo albergavano in questo seno? dove quella ricchezza di meriti, dove quell' affluenza di grazie, le quali qui soggiornavano in tanta pace col loro Dio? Ah ladrone infernale ben si conosce chi ha depredato questo povero cuore d'ogni suo bene: *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus* (Thr. 1, 10). Quanto v'era di vago, di stimabile, di prezioso, tutto n' ha tolto. Spenta è la carità, semiviva la fede, languida la speranza, accecata la prudenza, snervata la fortezza, distrutta la *temperanza*, tradita la giustizia, anzi assassinata; e quel ch' epiloga tutte le perdite in una, perduto Dio. Perduto Dio? o voi felici, se qui sol terminassero i vostri guai!

Equidem legenti haec animus pene concidit, mensque moerore confecta sibi diffidit; ita ut spes inclinata in unica Christi Servatoris misericordia recumbat.

## §. VI.

### *De Consolatione.*

***Quid est Consolatio, et quaenam sunt Consolationis causae?***

R. Consolatio est quoddam doloris levamen, seu medicina qua utimur, ut animos hominum sive calamitatibus, sive aerumnis fractos solatio boni futuri recreemus. Erit igitur in consolationibus, ait Cicero, prima medicina docere aut nullum malum esse, aut admodum parvum; secunda vero meminisse nos homines esse, eaque lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra. Inter haec virtutem elucere, magnanimique esse ac christiani hominis, invicto animo res adversas perferre. Poterit etiam orator remedii opem conferre, spemque erigere. Dicat et calamitates a Deo esse, his reprimere qui in rebus secundis se nimium extollunt; ad virtutis semitam revocare, qui de recto itinere aberravere; aliaque similia, quae apprime et oratorem et auditores christianos decent. Hac arte Demosthenes post infelix Cheroneae praelium Atheniensium animos reficit ac revocat: eademque Tullius utitur in Philippica XIV. cap. 12.

Vos vero patriae natos judico; quorum etiam nomen a Marte est, ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. In fuga, faeda mors est; in victoria, gloriosa. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet. Illi igitur impii, quos cecidistis, etiam ad inferos poenas parricidii luent; vos vero, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem et locum consequuti. Brevis a natura nobis vita data est: at memoria bene redditae vitae sempiterna. Quae si non esset longior, quam haec vita, quis es-

set tam amens, qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contenderet?

Actum igitur praeclare vobiscum, fortissimi, dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites, quod vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit: cum vobis immortale monumentum suis pene manibus Senatus, Populusque Romanus extruxerit. Multi saepe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis, clari et magni fuerunt: nec tamen ullis tale genus honoris tributum est. Atque utinam majora possemus, quandoquidem a vobis maxima accepimus! Vos ab urbe furentem Antonium avertistis: vos redire molientem repulistis. Erit igitur extructa moles, opere magnifico, incisaeque literae, divinae virtutis testes sempiternae: nunquam de vobis, eorum, qui aut videbunt vestrum monumentum, aut audient, gratissimus sermo conticescet. Ita pro mortali conditione vitae immortalitatem estis consecuti.

Sed quoniam, Patres Conscripti, gloriae munus optimis et fortissimis civibus monumenti, honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est haec quidem consolatio: parentibus, quod tanta Reipublicae praesidia genuerunt: liberis, quod habebunt domestica exempla virtutis; conjugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare, quam lugere praestabit: fratribus, quod in se, ut corporum, sic virtutum similitudinem esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris, consultisque possemus, vel aliqua talis his adhiberi publice posset oratio, qua deponerent moerorem atque luctum, gauderentque potius, cum multa et varia impenderent hominibus genera mortis, id genus, quod esset pulcherrimum, suis obtigisse, eosque nec inhumatos esse, nec desertos (quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur): nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contectos publicis operibus atque muneribus, eaque extructione, quae sit ad memoriam aeternitatis ara virtutis.

Quamobrem maximum quidem solatium erit propinquorum, eodem monumento declarari, et virtutem suorum, et pietatem, et Senatus fidem, et crudelissimi memoriam belli: in quo, nisi tanta militum virtus extitisset, parricidio M. Antonii nomen Populi Romani occidisset. Atque etiam censeo, Patres Conscripti, quae praemia militibus promisimus nos, Republica recuperata, tributuros, ea vivis victoribusque cumulate, cum tempus venerit, persolvenda: qui autem ex iis, quibus illa promissa sunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, conjugibus, fratribus eadem tribuenda censeo.

**Et Paulus noster in Concione XXVII. §. 8. ita solatur qui humanis in hoc terrarum orbe miseriis et calamitatibus excruciantur.**

Ma s'è così, non pare dunque a voi, miei signori, che molto noi veramente dobbiamo a Dio per quelle tribolazioni con cui ci affligge? Oh quanto! oh quanto! Ecco avverate quelle sì belle parole ch'egli già ci disse per bocca di Geremia. Le volete sapere? uditele, uditele, che sono veramente divine. *Ecce ego fingo contra vos malum* (Jer. 18, 11). Si potea forse dir meglio? Quando Dio ci tribola, pare che ci faccia del male. Ma non è così. Finge, finge. Per verità non ci fa mai sulla terra grazia maggiore. Oh che favor segnalato! oh che favor sommo! *Omne gaudium existimate,* dice s. Giacopo, *cum in tentationes varias incideritis* (Jacob. 1, 2). E qual maggior grazia, che darci quasi necessità d'esser buoni, d'esser modesti, d'esser divoti, d'essere un dì fatti degni della sua gloria? Non siamo noi quegli stessi che tanto frequentemente a lui domandiamo, ch'egli a sè tragga le nostre volontà quantunque restìe, che le sforzi, che le strascini? *Nostras rebelles ad te propitius compelle voluntates.* Or questo appunto fa egli, quando ci tribola. E perchè dunque alla prima vista del morso noi prenderemo quai cavalli sboccati ad inalberarci, e vorrem ri-

tirarci, e vorrem resistere, nè vorremo lasciarci da Dio domare? Ah siate certi, che per giungere al cielo questa è la strada: patire. E poi? patire. E poi? patire.

## §. VII.

### *De Metu, Spe, et Audacia.*

*Quid est Metus sive timor, et qua arte concitatur?*

R. Est perturbatio nata ex opinione mali impendentis. Tres potissimum sunt artes concitandi metus. 1. Est si denuntietur malum aliquod magnum ac grave, ut bellum, pestilentia, pauperies, infamia, infelix aeternitas. 2. Si ostendatur mali vicinitas, imminens periculum; neque enim solent homines metuere vel ipsam mortem, si longe remotam arbitrentur; at illius horrore concutiuntur, ubi urget morbus, pestilentia, vel naufragium.

*Praesentemque viris, intentant omnia mortem.*

Hac arte mirabiliter, suo more, utitur Tullius in quarta Catil.: ubi funesta Catilinae consilia, et impendentes urbi calamitates ita describit.

Videor mihi hancurbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem: cerno animo sepulta in patria, miseros, atque insepultos acervos civium. Versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi et furor in vestra caede bacchantis. . . . . Qua propter de summa salute vestra Populique Romani, de vestris conjugibus ac liberis, de fanis ac templis, de libertate ac salute Italiae, deque universa Republica, decernite diligenter, ut instituistis, ac fortiter.

Eadem arte Aeneas Anchisem patrem humeris gestans apud Virgilium libr. 2. timorem suum sic exponit ab imminentis calamitatis magnitudine.

Succedoque oneri: dextrae se parvus Julus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis;
Pone subit conjux. Ferimur per opaca locorum:
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji,
Nunc omnes terrent aurae, sonus excitat omnis,
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.

3. Concitandi metus industria et ars haec est, si proponatur malum non publicum dumtaxat, et commune, sed privatum et proprium. Solent enim nos privata mala multo magis tangere, et acriori doloris sensu ferire, quam publica: etsi homines vulgo videri malint publico potius dolore moveri, quam suo. Hoc probe intellexerat olim nobilis Graecus histrio, nomine Polus, qui Athenis acturus fabulam Sophoclis, cum repraesentandus esset dolor Electrae gestantis cineres Orestis clanculum eruit e sepulchro cineres, ossaque filii quem amaverat, urnamque detulit in scaenam, et cum lugere videretur aliena mala deflebat sua. Ita Aulus Gellius lib. 7.

Ita suppliciis aeternis in medium prolatis, Segnerus noster peccantibus timorem incutit in Concione I. §. 2.

Ardon già inestinguibili quelle fiamme, che debbono essere il vostro letto per tutta l'eternità: *Ignis succensus est in furore meo* (Jer. 15, 14): sì dice Dio: *super vos ardebit*. Gia son preparati i tormenti, già son pronti i tormentatori. Però, che manca? Manca che strappisi solamente quel filo che vi tien come pendenti sopra la bocca di un baratro sì profondo: *Super puteum abyssi*... E voi contuttociò non provate timore alcuno; poma potete la sera cenar con gusto, potete cicalare, potete conversare, potete andare a pigliare poi placidissimi i vostri sonni? se non è questa temerità intollerabile, rispondetemi, qual sarà? È vero che quel filo di vita che or vi sostiene, potrebb' essere ancora forte

e durevole; ma potrebbe anch'essere logoro e consumato. E perchè dunque in una egual incertezza, più volete attenervi a quella opinione che vi anima a confidare con tanto rischio, che non è quella che vi esorta a temere con tanto prò?

*Quid est Spes, et quaenam sunt ad spem incitamenta?*

R. Est gaudium ex opinione imminentis boni. Incitamenta duo numerantur: 1. honestas et magnitudo boni: 2. praesidia certa ad illud comparandum, qualia sunt opes, vires, industria, prudentia, amici, adversariorum imbecillitas, et favor divinus. Hinc Tullius Romanos ad certam victoriae spem excitat sane luculenter 2. Catilinaria.

Instruite nunc, Quirites, contra has tam praeclaras Catilinae copias vestra praesidia, vestrosque exercitus, et primum gladiatori illi confecto et saucio, consules, imperatoresque vestros opponite; deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum, florem totius Italiae, et robur educite.

Hinc etiam Aeneas suorum animos mirum in modum erigit, et bene sperare jubet Aeneid. 1.

O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.
Vos et Scyllaeam rabiem penitusque sonantes
Accestis scopulos, vos et Cyclopea saxa
Experti, revocate animos, moestumque timorem
Mittite: forsan, et haec olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojae.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.

Ad spem pertinet Audacia, seu confidentia, quae est affectus quidam animi, adversus malum futurum, quamvis arduum ac difficile, quod tamen vinci possit, consurgentis.

Videas quanto rerum verborumque splendore Segnerus in Concione XXXII §. 4. spem peccatorum erigat, ut vitiorum coeno emersi magnanimo quodam conato ad Christum se adjungant, sancteque vivant.

E perchè volete voi credere, ch' egli non sia pronto ad ammettere ancora voi nel numero de' suoi servi più intimi, più cordiali, più confidenti, purchè voi solo degniate d' esservi ammessi? Non ha sparso egli forse tutto il suo sangue sì largamente per voi, come per ciascun altro suo grande amico? Non gli costate voi tanto, quanto costògli una Pelagia, o una Taide, un Guglielmo, od un Agostino? Nulla di più per costoro egli ha tollerato, che per qualunque altro di voi. Di voi nominatamente si ricordò allora ch' egli grondava sangue nel l' orto; di voi quand' egli agonizzava di spasimo su la croce, quando sospirò, quando singhiozzò, quando pianse, *cum clamore valido et lacrymis preces offerens* (ad Hebr. 5, 7); sparse tante sue lagrime ancor per voi. E perchè dunque temete, se di voi faccia la medesima stima, mentr' egli per voi pure ha sborsato l' istesso prezzo?

*Quomodo concitatur Audacia?*

R. Iisdem ferme artibus quibus spes. Ita magnanimus Hannibal, trajecto Rhodano, Italiam recta petens, suos milites hortatur apud Livium Decade 3. ut obstructarum nivibus Alpium difficultates superent, Romanorumque vires contemnant.

Quid aliud Alpes esse creditis, quam montium altitudines? Fingite altiores Pyreneis: an terras aliquas coelum contingere, et inexpugnabiles humano generi esse creditis?

Et alio loco.

Cum eo nimirum hoste res est nobis, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest: seu vicit, ferociter instat victis: seu victus est, instaurat cum victis certamen.

Hac eadem ratione audax Turnus suorum Latinorum animos ad pugnam accendit Aeneid. 10.

In manibus Mars ipse, viri: nunc conjugis esto
Quisque suae, tectique memor, nunc magna referto
Facta patrum, laudesque: ultro occuramus ad undam,
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.
Audentes fortuna juvat.

Sic etiam Camillus apud Livium, Romanorum animos multitudine Gallorum territos, confidere jubet, paucis hisce sed magnificis verbis.

Hostem, an me, an vos ignoratis?

Eadem prorsus arte suorum Britannorum animos ad certamen inflammat fortissimus ille Galgacus de quo supra.

Ituri in aciem, et majores et posteros cogitate.

Multum enim addit fiduciae persuasio de favore divino. Hinc illa Tolumnii auguris audacia Aeneid. 12.

Tum vero augurium Rutuli clamore salutant,
Expediuntque manus primusque Tolumnius augur:
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod saepe petivi.
Accipio agnoscoque Deos; me, me duce, ferrum
Corripite, o Rutuli.

Cavendum tamen est, ne de favore divino quidquam apud viros cordatos et graves leviter statuamus, ex frivolis hujusmodi signis, quae risum potius et cavillationem pariant, quam fiduciam; quale illud unius e Pompejanis fuit, qui victo Pompejo, bellum adversus Caesarem redintegrandum esse dictitabat, optimeque esse sperandum, quod Aquilae septem in Pompeji castris essent repertae. « *Recte tu isthuc quidem*, inquit facete Tullius, *si cum graculis bellum gereremus.* »

**Ita Segnerus animos audientibus addit, ut mortem libenter, cum venerit, nulla formidine accipiant, Concione XXVI. §. 9.**

Non siamo di quei miserabili, a cui nessuno ardisce porgere avviso della lor fine imminente, per non gli affliggere. Vengano pronti i religiosi ad ajutarci co' prieghi, i sacerdoti ad armarci co' sagramenti; non ci saranno di orrore. Consideriamo, amatissimi miei fedeli, e rammemoriamoci, di avere già nel battesimo rinunziato a questo misero mondo, e che però, come l'Apostolo disse, noi qui non siam cittadini di stanza, ma ospiti di passaggio: *non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (Hebr. 14, 13). Accogliam lieti quel messo, da cui saremo cortesemente invitati a più stabile abitazione, a quel regno per cui siam nati, a quel cielo per cui siam fatti. Fin che siam qui, *peregrinamur a Domino* (2 Cor 5, 6). Chi è che mal dall' esilio non si dia fretta di arrivare alla patria, e che colà navigando, non ami rapidi i venti, indefessa la voga, veloce il corso? Nostra patria è il paradiso. Padri nostri son quei santissimi patriarchi, que' profeti, quei martiri, quegli apostoli. Come dunque è possibile, che ancor noi non amiam di presto arrivare alla lor presenza? Oh quanti amici colà ci stanno attendendo, oh quanti parenti, sicuri già della propria immortalità, ed ancor ansii della nostra salvezza! Presto dunque, presto, aneliamo a poter loro quanto prima gettare le braccia al collo, a godere della lor vista, ad udire le loro voci, a star con essi in perpetua felicità. Beata morte, la quale sola recar ci puoi tanto bene! Beato chi ti conosce, beato chi ti stima, beato chi ti desidera!

## §. VIII.

### *De Aemulatione.*

*Quid est Aemulatio?*

R. Est imitatio virtutis alicujus, studiumque ejus assequendae, non odio et invidia, sed laudis cupiditate, ita ut inter quos laudis est certamen nulla intercedat obtrectatio. Hinc liquet Aemulationem esse in laude ponendam, et ad perdiscendas bonas artes plurimum valere. Sunt enim aemulationi obnoxia, quae maxime praeciara, ut virtus, honores, gloria, et doctrina. Hoc interest aemulationem inter et invidiam, quod aemulatio bona est, laudabilis et honesta, et nos excitat, ut ipsi quoque bona consequamur: contra vero invidia viliosa est turpisque, et id agit, ne alter bonis potiatur, ut ait Horatius: « *Invidus alterius rebus macrescit opimis.* » Hac animi affectione permotus Thucydides puer adhuc, cum in universae Graeciae conventu Herodotum scribendae historiae principem libros suos legentem audisset, veluti stimulis actus illacrymavit, cujus fletum Herodotus ipse animadvertens: *Bono esto animo*, patri flentis juvenis inquit, *nam puer hic gloriae cupidus Graeciam suis laudibus honestabit.* Quod factum est; Thucydides enim Herodoti gloriam condendis historiis non solum exaequavit, sed facile superavit. Et antea hac ipsa aemulatione incitatus Temistocles *Miltiadis trophaeum non patitur*, dicere solebat, *me somnum capere, neque cessare.* Ita gloriae studium voluptatis illecebras excusserat, nec conquievit, donec barbarorum classe ad Salaminam debellata, Marathoniam victoriam exaequavit. Haec itaque vera est Aemulatio,

quae solius gloriae cupiditate flagrat, neque alteri invidet, neque obtrectat.

*Quanam arte Aemulationem concitabimus?*

R. Si gloriam et virtutem majorum nostrorum, vel praeclarissimorum virorum imitandam proponamus, viamque quamdam sternamus ad illam facile assequendam. Quod enim aliis licuit, et nobis licet. Quod si difficultates maximae obstant, illis superatis maximam gloriam inesse dicendum est. Nullum magnum facinus sine magno certamine.

*Affer exempla Aemulationis concitatae.*

R. Apud Livium in historiis Valerius Consul, equites ut virtute cum peditibus contendant, hortatur.

Agite, juvenes, praestate virtute peditem, ut honore atque ordine praestatis. Primo concursu pedes movit hostem, pulsum vos immissis equis exigite e campo. Non sustinebunt impetum, et nunc cunctantur magis quam resistant.

Et Segnerus noster in Concione XXXII. §. 9.

Se volete davvero divenir santi, qualche magnanima risoluzione convien fare . . . . Quasi tutti coloro i quali dal profondo della malizia si avanzarono al sommo della pietà, tutti vi giunsero, per così dire, in un salto che animosamente spiccarono da principio. Mirate Pelàgia, quella sì celebre peccatrice di Antiochia, come fec' ella? Appena Iddio toccolle il cuore alla predica, ch' ella udì dal Vescovo Nonno, che delibera di parlargli. Ma non potendo impetrare d' esser ammessa a privato ragionamento, va a ritrovarlo sin dentro il pubblico sinodo; ed alla presenza di tutto quell' augusto consesso sacerdotale gli cade a' piedi, e senza temere le dicerie del popolo, lo sdegno degli amanti, i motteggiamenti delle rivali, chiede con lacrime di amarissima contrizione il perdono delle sue colpe. Quindi credete voi, ch' ella proseguisse in decorso lungo di tempo, pri-

ma a licenziare le pratiche disoneste, poi a dismettere le conversazioni giocose, indi a ritirarsi in un eremo solitario? Anzi non ispuntò sì tosto il dì terzo dopo la sua conversione, che fatto un inventario fedele di tutte le sue ricchissime suppellettili, de'paramenti, degli avorii, degli ori, degli abiti, delle gioje, lo portò a piè del suo santo conquistatore, perch' egli tutto ripartisse fra poveri a piacer suo. Indi, tornata a casa, diè libertà a quanti schiavi, ed a quante schiave trovavansi a suo servizio, ed in capo all' ottavo giorno si vestì tutta da capo a piedi d'un aspro ed irsuto cilizio, e così incamminatasi, squallida pellegrina a Gerusalemme, venerò prima quelle divote memorie, e poi si chiuse entro una piccola cella, donde non uscì più, se non quando volonne al cielo. Che dirò di Taide Egiziana, quella al cui volto non so se più d'oro sacrificato già fosse, o se più di sangue? Chiese ella forse dall'abate Pafnuzio il qual convertilla, più di tre ore di tempo prima d'imprigionarsi in un monistero di vergini solitarie, a passar sua vita in perpetua detestazione del mal commesso? E quelle istesse tre ore in che le impiegò, se non in raccorre quanto ella avea dagli amanti suoi ricevuto, o di doni, o di pagamento, affine di arrecar tutto in piazza, e quivi bruciarlo alla presenza del popolo, come spoglie appestate d'impurità? Così pur egli diventò santo ad un tratto quel rio Galgano, che di giovane nobile, ma perduto, battè dipoi la carriera della virtù sì velocemente, che dalle mosse alla meta non mise più, che un anno solo di vita penitentissima da lui scorsa tra i romitorii Sanesi. Così ad un tratto una Margherita da Cortona, così ad un tratto un'Angela da Fuligno; e Guglielmo Aquitano, quegli il quale era giunto insino a gloriarsi di avere la scelleraggine per natura, non prima cadde sbigottito e confuso a' piè di Bernardo, che se vi cadde lupo, risorse agnello, e se vi cadde persecutore, risorsene penitente. Subito andò per le selve cercando grotte dove sottrarsi alla vista del cielo offeso, subito cambiò le ricchezze in mendicità, subito le crapole in

fame, subito le facezie in singhiozzi; e le carni usate a delizie, ed a morbidezze, caricò tosto di pungoli, e di catene. Orsù dunque, amatissimi peccatori, questo è quel ch'io stamane da voi richieggo, che subito vi vogliate risolvere a qualche impresa magnanima per un Dio maltrattato tanto, e che anche subito voi la vogliate eseguire. Non può la grazia dello Spirito Santo soffrire nojose dimore . . . . .

## §. IX.

### *Concluditur doctrina de affectibus*

*Quomodo concluditur doctrina de affectibus?*

R. Hactenus de affectibus dictum est, in quibus illud generatim est observandum quod apud Ciceronem monet Antonius. » *Ut omnes motus, quos orator adhibere volet judici, in ipso oratore impressi atque inusti esse videantur. Neque enim facile est perficere ut irascatur, cui tu velis, judex, si tu ipse id lente ferre videare: neque ut oderit eum quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit: neque ad misericordiam adducitur, nisi ei tu signa doloris tui, verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis. Ut enim nulla materia tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admoto igne, ignem concipere possit: sic nulla est mens tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam, et ardens accesseris.* »

Optime igitur monet Horatius in Arte poetica:

*. . . . . Si vis me flere, dolendum est*
*Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia laedent.*

*Num aliquid addi potest huic de affectibus doctrinae?*

R. Hoc unum addam, ad affectus movendos uti oportere eo sermone et formis, quae affectuum propriae sunt; qui enim aliis utitur, frustra omnibus viribus adnititur. Suus enim sermo animo, suus menti, suus imaginationi est; quos si misceas aut immutes, inanem operam industriamque insumes. Denique hoc postremum jubeo, ne nimium orator in vehementioribus perturbationibus moretur: hoc enim maximi momenti duxerim: nam, ut ait Fabius, *nil facilius quam lacrymae inarescit.* Quare memori mente haec Fabii verba reponat. « *Illud praecipue monendum, ne quis nisi summis ingenii viribus ad movendas lacrymas aggredi audeat. Nam ut est longe vehementissimus hic cum invaluit affectus, ita si nihil efficit, tepet, quem melius infirmus actor tacitis judicum cogitationibus reliquisset. Nam et vultus, et vox, et ipsa illa excitati rei facies, ludibrio etiam plerumque sunt hominibus, quos non permoverunt. Quare* metiatur ac diligenter aestimet vires suas actor; *et quantum onus sit subiturus intelligat. Nihil habet ista res medium, sed aut lacrymas meretur, aut risum.* »

## CAPUT XVIII.

### DE PERORATIONE

*Quid est Peroratio, et quot partibus constat?*

R. Peroratio, sive Epilogus, est ultima orationis pars, in qua id quod tota oratione expetebat orator, majori vehementia evincere, et obtinere contendit.

Ita Quintilianus. Partibus constat duabus. Enumeratione et Motu, seu affectuum commotione.

## §. I.

### *De Peroratione per enumerationem.*

*Quomodo fit Peroratio per enumerationem?*

R. Fit cum ea quae per totam orationem vario sparsa sunt, summatim colligimus, et sub uno veluti aspectu ponimus, per anacephalaeosim, seu recapitolationem, quae est rerum fuse dictarum brevis et artificiosa repetitio.

*Quid observandum est in enumeratione, seu anacephalaeosi?*

R. Duo maximopere sunt observanda; 1. ut cursim et raptim repetas ea dumtaxat, in quibus causa potissimum consistit, et quae maxime velis auditorum animis inhaerere. Si enim omnia minutatim repetas, *non erit peroratio, sed nova quaedam oratio,* inquit Fabius, *puerili quadam ostentatione memoriae suscepta.* Tu igitur imitaberis industrios illos pictores qui subtilissimo quodam artificio, res magnas et antea latissime diffusas, in perexiguam tabellam affabre colligunt. Imitaberis eximium illum opificem qui memorabili arte Phaetontis casum, equos, currum, orbem incendio flagrantem, Jovis iram, fulmen, infelicis patris moerorem, omnia denique huic rei affinia in unius annuli gemma solerter expressit, ut memorat Galenus. 2. Quae disperse, diffuseque dicta sunt ita summatim enumerabis, ut ea cum novo aliquo pondere dicantur, figurisque illuminentur, et ornentur sententiis; ne scilicet videatur *crambe repetita,* inquit Satyricus, si nimis jejuna sit, nudaque repetitio.

*Cedo illustre aliquod exemplum Perorationis per anacephalaeosim.*

R. Exemplo esse poterit Epilogus iste in Maniliana, qui tamen partis tantum est, non vero totius orationis.

Quare videte num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunae plurimorum civium cum Republica defenduntur.

Et rursus in eadem oratione.

Quare cum bellum ita necessarium sit ut negligi non possit; ita magnum ut accuratissime sit administrandum; et cum ei imperatorem praeficere possitis in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna; dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus oblatum, et datum est, in Rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis?

Et apud Sallustium in libro de Conjuratione Catilinae, ita Cato per anacephalaeosim orationem suam concludit.

Quare ita ego censeo; quum nefario consilio sceleratorum civium Respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint caedem, incendia, alia foeda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum, supplicium sumendum.

*Affer exempla italica Perorationis per anacephalaeosim.*

R. Postquam Comes Gaudensis (vulgo *di Belgiojosò*) disertissima et vehementi oratione hortatus est Carolum VIII. ut regni Neapolitani armis potiretur, hoc modo concludit apud Guicciardinum.

Ma perchè io consumo più tempo in queste ragioni? Come se non sià più conveniente, e più secondo l' ordine della natura il rispetto del conservare, che dell' acquistare. Perchè chi non sà di quanta infamia vi sarebbe, invitandovi massimamente sì grandi occasioni, il tollerare più che Ferdinando vi occupi un regno tale, stato posseduto per continua successione, poco manco di dugent' anni da' re del vostro sangue, il quale è manifesto giuridicamente aspettarsi a voi? Chi non sà quanto appartenga alla dignità vostra il ricuperarlo? Quanto sia pietoso il liberare quei popoli, che adorano il glorioso nome vostro, che di ragione son vostri sudditi, dalla tirannide acerbissima de' Catalani? È dunque l' impresa giustissima, è facilissima, è necessaria; è non men gloriosa e santa di per sè stessa, e perchè vi apre la strada ad impresa, degna di un Cristianissimo Re di Francia.

**Segnerus noster denique isto illustri epilogo Concionem sextam conficit, in qua ostendit quam stulti sint qui peccantes, in Deum, quasi scelerum participem, irascuntur. Orator per sua vestigia recurrens, quae fusius ante disseruit, in pauca verborum mirifica dignitate sententiarumque, contrahit.**

Stabiliscasi dunque che il nostro Dio non è Dio stupido, quale amavan gli antichi; e che però convien pur troppo temer la sua potenza, mentre con un solo flagelletto di funi in mano, ch' è quanto dire, con picciolissime armi può far di noi ogni spaventosa vendetta. Che se non l' ha fatta finora, non però dee diminuirsi il timore, ma deve accrescersi. Perchè o fu perdon del gastigo, e noi sappiamo che dopo lungo perdono diviene la severità più implacabile: o fu dilazione, ed è manifesto che dopo lungo indugiare succede la vendetta più grave. Anzi se maggiormente temer dobbiamo, questo tempo appunto è quel desso, in cui la continuata prosperità o non fa pensarci al gastigo, o fa disprezzarcelo.

Forense genus quasi propriam, rejectis animi motibus, hanc conclusionis rationem arripuit, ac per anacephalaeosim orationes, sive actiones saepius concludit. Et deliberativo generi interdum convenire non inficiamur: attamen ad voluntates vincendas affectus apprime valere fatemur. Academicae orationes etiam, et quidquid est didascalici sermonis, hos epilogos sibi vindicant.

## §. II.

### *De Peroratione per affectuum commotionem.*

*Quomodo fit Peroratio per affectuum commotionem?*

R. Altera perorationis pars, munusque alterum est affectuum concitatio, quod quidem ita proprium est illius, ut propterea peroratio *sedes affectuum* a magistris artis appelletur; quod nempe in eo potissimum loco debeat orator omnia orationis vela pandere, omnes eloquentiae fontes aperire, et auditorum animis quasi faces stimulosque subjicere.

*Quomodo concitari possunt affectus in Peroratione?*

R. Concitantur per amplificationem, quae est gravior quaedam affirmatio, quae motu animorum conciliat in dicendo fidem, ut ait Tullius. Et ut dilucide haec explicem, dicam, gravissimam illam affirmationem, de qua hic agitur, nihil aliud esse, quam vehementius quoddam copiosiusque dicendi genus, quo rei vel dignitatem et amplitudinem, vel indignitatem et atrocitatem, pondere verborum et enumeratione circumstantiarum ita demonstramus, ut non animos auresque praetervolet, ut ferme fit cum res leviter

ac strictim attinguntur, sed ut feriat animos, permoveat affectus, et audientium memoriae penitus insideat.

*Quinam praecipue motus ciendi sunt in Peroratione?*

R. Varii, pro variis dicendi generibus. In genere demonstrativo cum ad laudem intendat, ciendi sunt motus amoris, admirationis, aemulationis, laetitiae. In vituperatione excitandum est odium, invidia, contemptus. In deliberationibus spem, confidentiam, timorem commovebis. In judiciis vero quamvis omnia concurrant, amor, odium, indignatio, misericordia, tamen usus et ratio omnes, nisi dissimulatos, in peroratione affectus respuit.

In hac potissimum olim parte incredibilem quamdam admirationem habuit eloquentia Ciceronis, qui dum peroraret, non incendebat modo judices et auditores, sed ardere ipse quodammodo videbatur, ac praesertim quando concitanda erat erga reos commiseratio; ita ut non raro, quemadmodum ipse de se loquitur, *plangore et lamentatione forum perorando compleverit*. Quapropter si forte aliquando plures oratores pro eodem homine dicerent, Ciceroni peroratio relinqui solebat, ut ipse ita testatur lib. de Oratore. « *Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiamsi plures dicebamus, perorationem tamen mihi omnes relinquebant; in qua ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar.* » Satis hoc indicat peroratio Milonianae ubi sic ait.

Sed finis sit: neque enim prae lacrimis jam loqui possum, et hic se lacrimis defendi vetat . . . .

Et in eadem oratione.

Me quidem, judices, exanimant et interimunt hae voces Milonis quas audio assidue, et quibus intersum quotidie.

Itemque pro Rabirio Posthumo.

Sed jam, quoniam, ut spero, fidem quam potui tibi praestiti, Posthume, reddam etiam lacrymas quas debeo... Jam indicat tot hominum fletus quam sis charus tuis, et me dolor debilitat, includitque vocem.

*Quaenam sunt praecipuae virtutes Perorationis?*

R. Duae. 1. Ut sit vehemens ad permovendos animos. 2. Ut sit brevis; quia ut observat Tullius, *lacrimae cito arescunt, et animorum incendia celeriter extinguuntur.*

Ex his quae hactenus dicta sunt, satis liquet, quantum in Peroratione momenti sit ad eloquentiam. Unde scite admodum dicebat magnus ille Galliarum rex, idemque optimus ingeniorum spectator Henricus IV, non aliunde se melius praestantem oratorem dignoscere quam ex Peroratione. Nam etiam indiserti homines, artis beneficio saepe exordiuntur eleganter, atque aliquandiu in orationis suae cursu feliciter provehuntur: sed postquam deventum est ad Epilogum, ubi vel maxime requiritur vis orationis, ibi penitus elanguescunt, et omni motu animorum, atque impetu, tamquam vento naves, deficiuntur. Ne quid igitur hujusmodi usuveniat nobis, ita in elucubrando Exordio, caeterisque elucubrandis versabimur, ut subinde cogitemus quem exitum habitura sit Oratio, et qua denique porta sit nobis exeundum.

*Afferas velim nonnulla Perorationis exempla.*

R. Hic locus esset praecipuus perorationi orationis pro Milone qua nihil insignius, nilhil perfectius esse potest; sed cum carptim ex illa jam multa allata fuerint, exemplum aliud sumamus ejusdem Tullii ex ora-

tione pro C. Plancio, cujus peroratio ea est, ut Milonianam exaequare, plane dixerim, superare haud auserim affirmare.

O excubias tuas, Cn. Planci, miseras! o flebiles vigilias! o noctes acerbas! o custodiam etiam mei capitis infelicem! si quidem ego tibi vivus non prosum, qui fortasse mortuus profuissem. Memini enim, memini, neque unquam obliviscar noctis illius, cum tibi vigilanti, assidenti, moerenti, vana quaedam miser, atque inania, falsa spe inductus, pollicebar: me, si essem in patriam restitutus praesentem tibi gratiam relaturum: sin autem vitam mihi sors ademisset, aut vis aliqua major reditum peremisset, hos, hos (quos enim ego tum alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum praemia pro me persoluturos. Quid me adspectas? quid mea promissa repetis? quid meam fidem imploras? Nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, sed horum erga me benevolentiam promittebam: hos pro me lugere, hos gemere, hos decertare pro meo capite, vel vitae periculo velle videbam: de eorum desiderio, luctu, querelis quotidie aliquid tecum simul audiebam: nunc timeo, ne nihil tibi, praeter lacrymas, queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudisti.

Quid enim possum aliud, nisi moerere? nisi flere? nisi te cum salute mea complecti? Salutem tibi iidem, dare possunt, qui mihi reddiderunt. Huc exsurge tamen, quaeso. Retinebo, et complectar: nec me solum deprecatorem fortunarum tuarum, sed comitem, sociumque profitebor: atque (ut spero) nemo erit tam crudeli animo, tamque inhumano, nec tam immemor, non dicam meorum in bonos meritorum, sed bonorum in me, qui a me mei servatorem capitis divellat, ac distrahat. Non ego meis ornatum beneficiis a vobis deprecor, Judices, sed custodem salutis meae: non opibus contendo, non auctoritate, non gratia; sed precibus, sed lacrymis, sed misericordia: mecumque vos simul hic miserrimus et optimus obtestatur parens, et pro uno filio

duo patres deprecamur. Nolite, Judices, per vos, per fortunas, per liberos vestros, inimicis meis, his praesertim quos ego pro vestra salute suscepi, dare laetitiam, gloriantibus vos jam oblitos mei, salutisque ejus, a quo mea salus conservata est, hostes extitisse. Nolite animum meum debilitare tum luctu, tum etiam metu commutatae vestrae voluntatis erga me: sinite me, quod vobis fretus, huic saepe promisi, id a vobis ei persolvere. Teque, C. Flavi, oro et obtestor, qui meorum consiliorum in consulatu socius, periculorum particeps, rerum, quas gessi, adjutor fuisti, meque non modo salvum semper, sed etiam ornatum, florentemque esse voluisti, ut mihi per hos conserves eum, per quem me tibi et his conservatum vides. Plura ne dicam, tuae me etiam lacrymae impediunt, vestraeque, Judices, non solum meae: quibus ego magno in metu meo, subito inducor in spem, vos eosdem in hoc conservando futuros qui fueritis in me: quoniam istis vestris lacrymis de illis recordor, quas pro me saepe et multum profudistis.

*Cedo exempla italica Perorationis per motum affectuum.*

R. Bina hic proferam: alterum ex Joanne Casa in Oratione ad Carolum V. de Placentiae restitutione, egregium quidem et illustre; alterum luculentissimum et vehementiore affectuum vi conspicuum ex Segnero nostro.

Ex Joannis Casae oratione.

E s' ella non vuole che la sua gloria scemi e impoverisca di tanto, dove potrà ella mai impiegare la sua misericordia con maggior commendazione degli uomini, e con più merito verso Dio, che nel Duca Ottavio? il quale per la disposizion delle leggi è vostro figliuolo, per la vostra vostro genero, per la sua vostro servidore. Senza che, quando bene egli di niuno parentado vi fosse congiunto, ad ogni modo il suo molto valore,

ed i suoi dolci costumi, e la sua fiorita età dovrebbono poter indurre a compassione di sè, non solo gli strani, ma gl'inimici, e le fiere salvatiche istesse: e voi, la cui usanza è stata fino a quì di rendere gli stati non solo a' principi strani, ma eziandio a're barbari e saracini, sostenete ch'egli vada disperso e sbandito e vagabondo; e comportate, che quella vita, la quale pur dianzi nei suoi teneri anni si pose combattendo per voi in tanti pericoli, ora per voi medesimo tapinando, sia cotanto misera ed infelice? O gloriose, o bennate, e bene avventurose anime, che nella pericolosa ed aspra guerra della Magna seguiste il duca e di sua milizia foste, e le quali per la gloria, e per la salute di Cesare i corpi vostri abbandonando, e alla Tedesca fierezza del proprio sangue, e di quel di lei tinti lasciandoli, dalle fatiche e dalle miserie del mondo vi dipartiste! vedete voi ora in che dolente stato il vostro Signore è posto? Io son certo che sì; e come quelle che lo amaste e da lui foste sommamente amate, tengo per fermo, che misericordia e dolore de' suoi duri e indegni affanni sentite. Ecco i vostri soldati, Sacra Maestà, e la vostra fortissima milizia fino dal cielo vi mostra le piaghe, ch'ella per voi ricevette; e vi priega ora, che il vostro grave sdegno per l'altrui forse non vera colpa conceputo, per la costui innocente gioventù s'ammollisca, e che voi non al Duca, ma ai vostri nipoti, non rendiate come loro, ma doniate come vostra quella Città, la quale voi possedete ora, se non con biasimo, almeno senza commendazione: e potrà forse almeno far credere alle età che verranno dopo noi, che l'altiero animo vostro avvezzo ad assalire con generosa forza, ed a guisa di nobile uccello a viva preda ammaestrato, in questo atto dichini ad ignobiltà, e quasi di morto animale si pasca; quella Città, non colla vostra virtù nè con le vostre forze, ma cogli altrui inganni e coll'altrui crudeltà acquistata, ritenendo. Di ciò vi pregano similmente le misere contrade d'Italia, e i vostri obbedientissimi popoli, e gli altari, e le chiese, e i sacri luoghi, e le religiose ver-

gini, e gl'innocenti fanciulli, e le timide e spaventate madri di questa nobile provincia piangendo, ed a man giunte colla mia lingua vi chieggon mercè, che voi procuriate per Dio, che la crudele preterita fiamma, per la quale ella è poco meno che incenerita e distrutta, e la qual con tanto affanno di Vostra Maestà sì difficilmente s'estinse, non sia raccesa ora, e non arda, e non divori le sue non bene ancora ristorate nè rinvigorite membra. Di ciò pietosamente e colle mani in croce vi priega Madama illustrissima, vostra umile serva e figliuola, la quale voi donaste ad Italia e con s nobile presente e magnifico degnaste farne partecipi del vostro chiarissimo sangue; acciocchè ella di sì prezioso legnaggio co' suoi parti questa gloriosa terra arricchisse; e noi lei, siccome nobilissima pianta peregrina, nel nostro terreno translata ed allignata, e la vostra divina stirpe fruttificante, lietissimi ricevemmo, e quanto la nostra umiltà fare ha potuto, l'abbiamo onorata e riverita. Non vogliate ora voi ritorci sì pregiato dono; e se la sua benigna stella le diede, ch'ella nascesse figliuola d'imperadore, ed il suo valore, ed i suoi regali costumi la fecero degna figliuola di Carlo quinto imperadore, non vogliate far voi che tanta felicità e bontà sieno ora in doglioso stato; quello che il cielo le concedette, e quello, che la sua virtù le aggiunse, togliendole. Assai la fece aspra fortuna e crudele delle sue prime nozze sconsolata e dolente: non la faccia ora il suo generosissimo padre delle seconde misera e scontenta. Ella non puote in alcun modo essere infelice, essendo vostra figliuola; ma come può Ella senza mortal dolore veder colui (cui ella sì affettuosamente, come suo e come da voi datole, ama) caduto in disgrazia di Vostra Maestà, vivere in doglia ed in esiglio? Ma se ella pure deponesse l'animo di ardente mogliera, come può ella deporre quello di tenera madre, ed il suo doppio parto sopra ogni creata cosa vaghissimo e delicato ed amabile, non amare tenerissimamente? il quale certo di nulla vi offese giammai. Se l'altrui nome all'uno de' nobili gemelli nuoce cotanto, giovi almeno all'altro in

parte il vostro. Questi le tenere braccia ed innocenti distende verso Vostra Maestà timido e lagrimoso, e colla lingua ancora non ferma mercè le chiede: perciocchè le prime novelle, che il suo puerile animo ha potuto per le orecchie ricevere, sono state morte e sangue ed esiglio; ed i primi vestimenti, coi quali egli ha dopo le fasce ricoperto le sue piccole membra, sono stati bruni e di duolo; e le feste, e le carezze che egli ha primieramente dalla sconsolata madre ricevute sono state lagrime e singhiozzi, e pietoso pianto e dirotto. Questi adunque al suo avolo chiede misericordia e mercè; ed Italia al suo Signore chiama pace e quiete; e l'afflitta Cristianità di riposo e di concordia il suo magnanimo principe priega e grava; ed io da celato divino spirito commosso, oltre a quello che al mio stato si converrebbe fatto ardito e presontuoso, la sua antica magnanimità a Carlo V. richieggo, e la sua carità usata gli addimando. La divina Bontà guardò il vostro vittorioso esercito da quelle mortali seti Affricane, e dievvi, che voi conquistaste quel regno in sì pochi giorni, acciocchè voi di tanto dono conoscente, la sua santa fede poteste difendere ed ampliare; e non perchè la misera Cristianità tutta piagata e monca e sanguinosa, quando ella le sue ferite sanava, e i suoi deboli spiriti rafforzava, a nuove contese e a nuove battaglie suscitaste, per aggiungere una sola Città alla vostra potenza. Questa medesima divina Bontà rendè tiepide e serene le pruine, ed il verno della Magna, ed i venti e le tempeste del settentrione acquetò, per salvare il suo eletto, e diletto Campione; e diedegli tanta e sì alta vittoria fuori d'ogni umana credenza, non affine che egli poco appresso, per avanzarsi, imprendesse briga con santa Chiesa, ma acciocchè egli la ubbidisse, e le sparse e divise membra di lei raccozzasse ed unisse, e col Capo suo le congiungesse; siccome vostra Maestà farà di certo; perciocchè cotanta virtù, quanta in voi risplende, non puote in alcun modo nè con alcuna onda di utilità estinguersi, nè pure un poco intiepidirsi giammai. Piaccia a Colui, al quale, essendo Egli somma

bontà ogni ben piace, che queste mie parole più alla buona intenzione che all' umil fortuna mia convenevoli, nel vostro animo ricevute, quell' effetto producano, che al suo santissimo Nome sia di laude e di gloria, ed a Vostra Maestà di salute e di consolazione.

## Ex Pauli Segneri Concione XXIV. §. 8. de falsa peccatorum felicitate.

E forse che non si ajuteranno i demonj con tutte le arti per farvi allor bene intendere la gravezza di quegli eccessi, i quali a voi per ventura sembrasser tenui, o rimanessero ignoti? Ma che dico i demonj? Cristo, Cristo medesimo vi verrà a rimproverar di sua bocca l'ingratitudine da voi dimostrata al suo sangue: e però qual confidanza potrete avere in chi vedrete aver tenuta ragione, e questa esattissima, d'ogni minima vostra parola oziosa, *de omni verbo otioso* (Matth. 12. 36.), non che delle maldicenze, o delle bestemmie, o delle soperchierie? Mi par per tanto di veder, ch'egli in quel passo estremo apparisca a talun di voi, nudo, piagato, lacero, sanguinoso. A destra ed a sinistra gli assisteranno angeli armati di turbini e di terrori: ed egli tenendo in mano quel gran volume degli umani delitti, comincerà ad uno ad uno a rileggervi tutti i vostri, con intonarvi alle orecchie della coscienza, non punto ottuse, quelle spaventose voci del Salmo: *Haec fecisti, et tacui* ( Ps. 49, 21.). Tu, dirà egli, quando eri negli anni tuoi più giovanili, non prima cominciasti a conoscermi, che ad offendermi. Imparasti il mio nome per maledirlo, e la mia legge per conculcarla: ed io taequi. Ti desti subito in braccio a compagnie licenziose, da cui ti lasciasti adescare ad ogni sorte di vizio; apprendesti i loro dettami, seguisti i loro esempj, aderisti a' loro costumi: ed io tacqui. Fuggivi le chiese, e frequentavi i ridotti; lasciavi la messa, e dimoravi ne' trebbi; disprezzavi i sacramenti, ed attendevi alle crapole; ti annojavi delle prediche, e ti divertivi in vagheggiamenti: ed io tacqui: *Haec fecisti, et tacui.* Venuto ad età più virile, non vi fu

infamia che tu non volessi conoscere. Non perdonasti a sesso, non distinguesti grado, non rispettasti condizione; servisti in tutto alle tue passioni sfrenate: ed io tacqui. Allevasti con gli esempj medesimi i tuoi figliuoli, senza timor di Dio, senza pratica di legge cristiana, senza riverenza alle cose sagre: ed io tacqui. Passasti dagli amori impuri ad odj maligni: non volesti mai pace col tuo nemico, l'odiasti, lo perseguitasti, il tradisti, ti lordasti le mani di umano sangue: ed io tacqui. *Haec fecisti, et tacui.* Giunto alla vecchiaja, riponesti ogni affetto tuo nel denaro. Questo procurasti con mezzi quantunque illeciti: non mantenesti fede, non adempisti debito, non osservasti giustizia: anzi ti valesti di frodi, di falsità, di doppiezze, di tradimenti: ed io tacqui. Negasti il suo a chi si doveva. A danno d'altri impiegasti uffizj maligni, a favor d'altri esercitasti atti infami. Non riguardasti solennità, non frequentasti oratorj, non facesti orazione, non pensasti una volta alla tua coscienza: ed io tacqui: *Haec fecisti, et tacui.* Che ti desti a credere però? *Existimasti, inique, quod ero tui similis?* (Is. 42, 14.). Credesti che io dovessi sempre tacere? ch'io non dovessi mai risentirmi? *Tacui semper, silui, patiens fui;* ma ora *ut parturiens loquar* (ibid.): e dacchè tu vivendo non hai prezzato il mio sangue, ma come fango l'hai premuto, l'hai posto villanamente sotto i tuoi piè; ecco ti condannerà questo sangue che ti dovea riscattare. Così dirà egli; e forse anche come si legge aver Cristo in quel punto usato a più d'uno, s'immergerà nel costato aperto la mano, e ritraendola diluviante del suo preziosissimo sangue: piglia, dirà: chi la vita non volle da questo sangue, n'abbia la morte. Ed in quel punto, sparendovi lui dagli occhi, vi parrà di vedere, che vi si avventi rabbiosamente alla vita una birreria formidabile di demonj, altri de' quali vi afferrino per le braccia, altri per li capelli, altri pe' piedi, vago ciascuno d'aver egli la gloria di strascinarvi suo prigioniero all'inferno. E voi allora avrete un cuore sì intrepido, sì costante, che confidiate nella divina bontà?

Oh folle chi si vuole promettere di sè tanto! Ma se non possiamo promettercelo, torniamo dunque all' intento nostro, e diciamo: quei fieri rimorsi che sentiremo morendo, a che ci varranno? A farne più agevolmente ottener salute? Non già. Varranno ad angustiarci, varranno ad affliggerci, varranno a farci più precipitosamente cadere in disperazione.

E s'è così, che ci rimane ora a fare, da che abbiam tempo? Penitenza, sì, penitenza, torno a ripeterlo, penitenza. Questa sì che avrà forza di quietare il nostro animo sì altamente, che si riduca a perfetta tranquillità; *ut tranquillam vitam agamus*, come l'Apostolo disse: ma in quale stato? *in omni pietate* (1 Tim. 2, 2). Tutte le altre invenzioni saranno inutili. Che giova darsi alle bische, darsi a'bagordi, ed abbandonarsi con tanta dissoluzione dietro a mille ingannevoli passatempi, di giostre, di tornei, di commedie, di festini, di danze? Ah! che fino a tanto che riman fitta nel cuore una spina sì acuta qual è la colpa, tutti gl'impiastri che si mettan d'attorno per mitigargli il dolore, non vaglion nulla. Bisogna trarne la spina (mi avete udito?) bisogna trarne la spina. Se noi ve la lasceremo star lungamente, ci s'internerà, ci s'incarnerà di maniera, che ne avrem forse per tutti i secoli eterni a gridar di spasimo, a contorcerci, a smaniare: *Conversus sum*, ma sempre *in aerumna mea, dum configitur spina* (Ps. 31, 40.).

## CAPUT XIX.

### DE ORATIONIS SYNOPSI

*Cur hoc loco de orationis Synopsi sermonem facimus?*

R. Ut melius et singularum partium officium et munus, et quae singulis conveniunt tyrones intelligant. Necesse est enim exemplis praecepta confirmare ut menti penitus inhaereant: quare hoc adolescentes

monitum velim, ne unquam disciplinam ab illustrioribus aureorum Scriptorum exemplis sejungant. Ciceronis orationes quam saepissime prae manibus habeant, artem introspiciant et imitentur. Prodest apprime totam orationem synopsi adumbrare, ut melius, valdiusque vim eloquentiae pondusque cognoscant. Ut enim membrorum structura, ossiumque compage observata, melius totius corporis formam officiumque intelligimus, ita brevi contracta, et adumbrata oratio, oratoris artem lucidius exhibebit.

*Quid est Synopsis et quotuplex?*

R. Synopsis a graeca voce Σύνοψις est breviarium multarum rerum sub uno aspectu positarum; et ut aptius definiam in oratore: Synopsis est totius orationis brevis adumbratio, quae praecipua momenta per partes distributa exhibet omni artificio expoliata. Tria Synopsis genera distinguuntur. 1. Primum illud est in quo summa orationis capita notantur. 2. Secundum illud est quod rebus notatis argumenta et sententias addit. 3. Tertium denique res singulas attingit, notatque et argumentationis et amplificationis rationem, et elocutionis formas.

*Cedo exemplum Synopsis quae tantum summa capita orationis notat.*

R. Ut lucidius res pateat, Tullii orationem pro Lege Manilia ad Synopsim revocabimus, si placeat. Videas ergo primi generis, ut postulas, Synopsim quam a cl. v. Josepho Kleutgen Societatis Jesu mutuati sumus.

*Exordium*. Ab adjunctis rostrorum ex quibus Cicero nunc primum dicit.

*Narratio*. Exponitur status belli Mithridatici.

*Propositio*. Bellum Mithridaticum acriter gerendum et Cn. Pompejo committendum est.

*Confirmatio. Pars prima.* Quia hoc bellum genere ipso necessarium, magnitudine periculosum est.

*Altera pars.* Quia in Cn. Pompejo omnia reperiuntur, quae in summo imperatore inesse debent.

*Confutatio* 1. Hortensii argumentum, uni omnia non esse tribuenda, nuper jam eventus refutavit. 2. Catuli ratio, nihil esse agendum contra mores et instituta majorum, non in omni rerum conditione tenenda est.

*Peroratio.* Laus et exhortatio Manilii, Ciceronis studium in hac lege tuenda.

*Affer exemplum Synopsis secundi generis.*

R. *Confirmatio. Pars prima.* Bellum genere ipso necessarium; nam in eo agitur 1. gloria Populi Romani, 2. salus sociorum, 3. aguntur vectigalia maxima, 4. et bona multorum civium.

*Pars altera.* In Cn. Pompejo omnia inveniuntur, quae in summo imperatore inesse oportet: 1. scientia rei militaris, 2. virtus, 3. auctoritas, 4. felicitas.

*Cedo tertii generis Synopsis exemplum.*

R. Bellum est 1. genere ipso necessarium, quia in eo agitur gloria Populi Romani. Nam Mithridates nece civium romanorum summam injuriam intulit nomini romano: *ampl. ex adjunctis* - nec tamen poenam dignam suscepit, imo imminet provinciis Populi Romani, et cum ipsis hostibus societatem inivit; = ergo agitur gloria Populi Romani = Atqui majores ob multo leviores injurias bella magna gesserunt; ergo ⇒ *ampl. per opposita. Et ex parte secunda:* in Cn. Pompejo est I. scientia rei militaris summa; nam 1. a prima juventute, ( comparatio cum aliis ducibus = *anthitheses* = ); et 2. in omni genere bellorum cum summa laude versatus est. II Virtus illa

quae vulgo imperatoria existimatur, ostenditur enumeratione victoriarum, amplificatione victoriae de praedonibus relatae, *ab antec. conseq. et adjunctis*; eae virtutes, quae praeterea ut illius comites et administrae requiruntur, innocentia etc.

## CAPUT XX.

### DE SACRA ELOQUENTIA

*Quaenam est sacra eloquentia ?*

R. Ea est, quae verbum Dei, christianaeque fidei ac disciplinae documenta fidelibus exponit, ut et Christi Domini mandata teneant serventque, ad meliorem frugem redeant, et aeternam beatitudinem assequantur. Apostolos concionandi munus in orbe christiano primos exercuisse facile patet.

*A quo concionandi munus Apostolis datum est ?*

R. Concionandi munus a Jesu Christo Deo nostro demandatum est, qui Apostolos jussit ire et docere gentes universas. Quare Paulus inquit: « *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* » Quibus verbis non modo ministerii dignitatem, sed finem quoque ostendisse videtur. Dignitatem enim compertam habemus, cum hoc officium a Deo esse fateamur: finem cum sciamus nihil aliud sacros concionatores sibi proponere debere, quam animarum salutem, Deique gloriam majorem.

*Quodnam dixeris esse concionatoris officium ?*

R. Optime docet Augustinus lib. IV. christianae doctrinae, quem nos hoc loco praeceptorem et ducem prae aliis volumus. Is igitur sacrum doctorem sive concionatorem debere et bona docere, et mala

dedocere affirmat; atque in hoc opere sermonis conciliare adversos, remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. Quibus hoc unum addam interdum et bonos laudare, et malos vituperare debere, quamquam in laudatione magis versandum quam in vituperatione. Cum enim sanctorum hominum vitam veluti exemplar auditoribus proponit orator, virtutesque laudat, dum aliud facere videtur, docet, et auditores inflammat: dumque vitia pessimosque homines vituperat, dedocet, et a peccatorum imitatione ac consuetudine avertit. Cum ergo fidelibus ut boni sint suadet, ne mali sint dissuadet, in deliberativo genere versatur: cum laudat Sanctos, haereticos vitiososque vituperat, totus in genere demonstrativo est: quod hic notasse optimum duxerim, ne quis putet sacram eloquentiam tribus, quae numeravimus antea generibus, non contineri.

*Quid praestare debet orator christianus ut rite suum officium adimpleat?*

R. Hoc curet in primis Ecclesiastes, ut *intelligenter, libenter, obedienter* a fidelibus audiatur; hac enim ratione assequetur ut veritas pateat, placeat, et moveat. Patebit si sapienter doceat; placebit si pia quadam suavitate delectet; movebit denique si apte exagitatis affectibus voluntates flectat. Docere necessitatis est, quod nisi doceas numquam delectatione afficies, numquam voluntates dominaberis. Delectare suavitatis est; suavitas enim efficit ut facilius audiamur, quod haud evenire potest concionanti insuaviter. Voluntates flectere denique victoriae est, cum tantum propter hoc finem dicendi consequamur.

*Quodnam debet ergo esse primum sacri oratoris propositum?*

R. Auditores docendos primum sibi proponat, quod ut facile consequi possit doctrina multa polleat oportet. Sacram Scripturam, Ecclesiae Patres et Doctores penitus cognoscat; in iis enim veluti certo fundamento sacra omnis eloquentia recumbit. Sit etiam theologicarum et philosophicarum rerum peritus, historias calleat, ut apte et opportune his subsidiis utatur, et melius potentiusque argumenta, quae assumpsit, explanet. Caveat tamen, ne doctrina elatus sapientiam humanam eruditionemque ad pompam ostentet, ita ut propriam gloriam divinae, et auditorum saluti inanem laudem praeferre videatur. Nam, ut inquit Divus Thomas, *si intentio tua favor est gloriae, verbum Dei adulteras.* = *Non est* enim *theatrum Ecclesia,* apte exclamat Chrysostomus, *ut ad delectationem audiamus*: *Qui fecerit et docuerit hic magnus vocabitur in regno caelorum.* ( Matth. 5. )

*Quid animadvertendum est in argumentorum delectu?*

R. In argumentis seligendis animadvertat orator oportet; non enim argumentum omne aeque omnibus proponi potest. Seligat aptiora et utiliora, caetera omittat, et quod sibi proposuit simplicitate et lucido ordine niteat. Lucidus ordo praecipue concionatoribus prodest: nemo enim docere facile poterit, nisi summa perspicuitate, quae proponit, exponat, ex ordine collocet, et amplificet. Ingeniosi scilicet est ita dicere ut ad intelligendum non opus sit ingenio. Quamobrem certe improbandi sunt illi, qui incondite incompositeque dicunt; vel ita dicunt, ut non ab omnibus intelligantur, verbisque grandioribus, doctorum assum-

pta toga', loqui subtilia gloriantur, et inanis amore laudis tumentes, sibi vel magniloquentis vel theologi vel philosophi gloriam inopportuno et profano quodam studio comparare conantur. Non enim (ait Augustinus) nos tonantia et poetica verba proferimus, nec eloquentia utimur saeculari sermone fucata, sed praedicamus Christum Crucifixum.

*Quid in primis meminisse debet christianus orator?*

R. Hoc in primis meminisse decet, quod Augustinus idem nos docuit. « *Sapienter hominem tanto magis vel tanto minus dicere, quanto in Scripturis Sanctis magis minusve profecerit.* » Quibus verbis mirifice exposuisse videtur, quod Divus Paulus epistola I. ad Corinthios scripserat. « *Ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiae annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Et ego in infirmitate, et dolore, et tremore multo fui apud vos; et sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis: ut fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* » Cum dixit ergo Apostolus se non in sublimitate sermonis venisse, fatetur se in humanae eloquentiae viribus ac nervis nihil confidere; cum se exquisitis ad persuadendum verbis non uti affirmat, non in praesidiis atque adminiculis philosophiae artisque humanae inniti, sed in Dei spiritu atque virtute significat. Neque vero sapientiam excludit, sed hanc secundas agere fatetur, spiritu Dei ac virtute ducente. Quod in mentibus sacrorum oratorum continuo haerere velim: sapientia enim haec tota a Deo est, et Dominus ipse ait. « *Nolite cogitare*

*quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* » ( Matth : 10. 19. )

*Num auditorum ingenia oratori cognoscere oportet ut apte doceat?*

R. Equidem oportere affirmem : nisi enim pro ingenii facultate auditores doceat, frustra docebit. Quae captum auditorum excedunt, onerant non adjuvant, neque ullum doctrinae fructum praebent Quare orator videat an populo, an sacerdotibus, an principibus viris, vel doctis concionem habeat : aliud enim orationis genus aliis convenit. Et cum ad populum dicat, qui ex pluribus constat indoctis, secundum intellectus communes loquatur, ita ut sermo doctis probabilis sit, planus imperitis. « *Ego otiosum sermonem illum dixerim* ( Augustinus ait ) *quem auditor suo ingenio non intelligit.* »

*Quid igitur sacro oratori curandum est, ut ab omnibus intelligatur?*

R. Curandum est primitus, ut majore qua possit simplicitate ac perspicuitate dicat, ut nemo tam rudis sit qui intelligere non possit, resque ipsas sublimiores fidei, et captu difficiliores verborum quadam facilitate explanet, ita ut industria dicentis, quae natura ipsa difficiliora sunt, facillima fiant. Saepe in memoriam revocet, atque ante oculos habeat illud Gregorii Magni in libro vigesimo Moralium « *Ad infirmitatem audientium semetipsum contrahendo descendat Orator, ne dum parvis sublimia, et idcirco non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quam auditoribus prodesse.* » Quamobrem orator non ut intelligi possit, sed ne omnino possit non intelligi totis

viribus curet. Quid enim prodest dictionis concinnitas, rerum sublimitas, argumentorum subtilitas, si quod loquimur non intelligunt illi, propter quos ut intelligant loquimur? (Aug.) Satius ergo est ad auditorum captum usitati simplicisque sermonis consuetudinem usurpare, quam sublimitatem rerum ac verborum aucupari, quum simpliciter loquentem et docti probent, et indocti intelligant.

*Nonne aliquando praestabit oratorem prae se ferre aliquid rusticitatis?*

R. In ore sacri oratoris neque rusticitatem, neque studiosius accersitam sermonis elegantiam velim. Quaedam est diligens negligentia, quae hominem magis de re quam de verbis laborantem indicat, neque insuavis, neque audientibus ingrata. Hanc saepius usui esse contendo et affirmo. Quod si in reprehensionem aliquam incidere debeat concionator, melius est, Augustino teste, ut reprehendant docti, quam non intelligant populi.

*Quodnam erit secundum concionatoris propositum?*

R. Sacri oratoris secundum propositum erit, veluti supra attigimus, ut libenter audiatur: quod assequi facile potest, si blando facilique sermone discurrat oratio. Quomodo enim descendit imber aut nix, ita verbum Dei in animos audientium descendat oportet. Velim igitur ut suaviter loquatur, idest proprie perspicueque, addam etiam non inconcinne. Sunt enim haud pauci qui ad concionem veniunt, non discendi cupiditate adducti, sed oblectationis, terendique temporis causa, quos si imparatos honesta quadam insidia capiat, et sermonis suavitate orator alliciat, in animis simul cum oblectatione quam appetunt, res etiam quas negligunt sentiant. At cum non

inconcinne oratori dicendum esse addidi, haud forte addidi. Quadam enim concinnitate uti necesse est, studio et arte comparata: sed tamen ita, ut artis studiique cura dissimuletur. Non enim dedecet sacrum oratorem aliquando artificiose loqui, dummodo ars ad finem, non finis ad artem referatur. Varietas etiam in dicendo valde ad oblectandos auditores prodesse potest; hoc enim pacto, et mentes recreare, et honesta possumus voluptate perfundere.

*Quid cavendum est in suaviter dicendo?*

R. Cavendum est ne nimio voluptatis excitandae studio elati, aut verbis elegantioribus, aut descriptiunculis et schematum illecebris ita auditoribus blandiamur, ut non de illorum utilitate, sed de voluptate solliciti videamur. Studeamus itaque ut suavitate sermonis, sententiarumque varietate ita delectemur, ut excitata voluptas ad animorum emendationem aditum patefaciat, ac viam, pene dixerim, sternat, et ad ampliores uberesque colligendos fructus, non ad inanis gloriae pompam assequendam delectasse videamur.

*Licetne sacro oratori alicujus concionandi rationem, a Patrum Ecclesiaeve more abhorrentem, delectandi auditores causa imitari?*

R. Minime licet: certeque ii sunt improbandi, qui ut ad scitorum hominum comptiorem ritum se effingant, a veterum Sanctorum Patrum consuetudine abhorrent, et quamdam affectant orationem minus ab Ecclesia probatam; aut pictoris ritu ad voluptatem omnia minutatim describentes, aut profanis philosophiae quaestiunculis, aut eruditionibus lascivientes, et fumum ex fulgore pene dixerim ducentes. Genus hominum imprudens incautumque, qui futili saecularis gloriolae vanitate abrepti, sanctitatem muneris, utilitatemque fidelium despexisse videntur.

*Quodnam est denique sacri oratoris tertium propositum?*

R. Tertio id sibi proponat concionator, ut obedienter audiatur. Audietur vero, si animos compellere et flectere valeat, quod equidem eloquentiae triumphum duxerim. Si enim, ut diximus, docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere, ita vivam, victoriae est. Auditor autem flectitur, si quod pollicearis amet, quod minaris timeat, quod arguis oderit, quod commendas amplectatur, quod denique dolendum exaggeras, ex animo doleat. Si vivas voces ab imo pectore edat orator, tunc auditores verba tangent, et flere jubebunt. Rerum pondere mentes capiuntur, dicentis charitate animi urgentur: gratia adjuvante, verba ad imas usque medullas pervadunt. Haec unctio dicitur, haec efficit ut sermo efficax et penetrabilior sit gladio ancipiti.

*Quid curandum est in affectuum commotione?*

R. Curandum est ut sint fines certi, et modus, ne dicere irate, aut violenter, aut muliebri more flebiliter videamur. Sunt qui religionis studium affectantes in ipsos invehunt auditores, omnia omnibus minitantur, ac veluti in ethnicos agerent, nulla christianae charitatis ratione servata, fratres peccantes, quasi inimicos, hostilibus armis infringere, ac prope delere contendunt. Quod non facile probarim: quamvis, enim Apostolus Timotheo scripserit « *praedica verbum: insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* » revocare tamen debent sacri oratores illud davidicum « *irascimini et nolite peccare.* » Nam cum Apostolus inquit *in omni patientia et doctrina*, satis rem explanavit, omnia ad charitatis studium esse dicenda. Ira chri-

stiani hominis digna *zelus* appellanda est, quo etiam sancti viri commoveri consueverunt: et in hoc etiam caute agendum esse monet Cardinalis Valerius, ut qui audit semper intelligat pro iis orandum esse quibus irascitur, nihilque esse mansuetudine amabilius, nihil Deo bonisque viris acceptius. Sunt etiam nonnulli qui nefaria quadam audacia spiritualibus impotenter temporalia commiscent, factionesque ibi exagitant ubi pax hominibus danda est. Hi, aperte fatear, non legisse videntur ea Sacrarum Scripturarum verba, ubi Deus ipse declarat regnum suum de hoc mundo non esse, et se pacem hominibus omni tempore dare. Auctor enim pacis et bonorum omnium Deus plebem suam diligit, nec oves morbo laborantes mactari jubet, sed bonus piusque medendas suscipit. Quare Apostolus Paulus Timotheo dixit: « *Noli verbis contendere, ad nihilum enim utile est, nisi ad subversionem audientium.* » Et idem Valerius Cardinalis docet « *peccata ex odio habenda, non peccatorem, quem justum efficere potest Dominus. Ejus potius causa dolendum, et pro eo, veluti pro fratre periclitante, orandum.* »

*Numquamne orator succensere et irasci potest?*

R. Potest; nec quemquam cogitare velim me sacrum oratorem ita effingere, ut malis non medicinam, sed fomentum afferat, nec aegrum sublevet amaris potionibus, sed illecebris obruat. Absit hoc. Cum enim animorum aegritudines remedia postulant, omnia in medium proferre malim, quamvis aspera et fortia, ut aegritudo tollatur. Imperitum esse affirmarim cum Cypriano, medicum, qui tumentes vulnerum sinus parcente manu contrectat, et in altis recessibus viscerum virus inclusum servat. Aperiendum vulnus est, et secandum, et putredinibus amputatis, medela

fortiore curandum. Vociferetur, clamitet et conquaeratur aeger impatiens per dolorem, cum senserit sanitatem, gratias postmodum aget. Sed charitas in ipso secandi opere non desit; quid enim nisi charitas efficit, ut ferrum in manu medici non pertimescamus, in manu furiosi atque irati fugiamus? In medentis ore pietas enitet, ferumque opus pietate duce conficit; quare illi membra secanda volentes libenter offerimus: at in furiosi irative vultu, cum odium inustum appareat, non solum ferri, sed oculorum aciem pertimescimus, et odio repellimus. Multos saepe audivi cum propheta minitari. « *quadraginta adhuc dies, et Ninives evertetur* »Multos « *in peccato vestro moriemini* » et sancta salutaria similia: optime quidem et Apostolice dicta: haec enim in Scripturis Sanctis legimus, et verba Dei sunt, quae decies repetita juvabunt. Sed cum hominis verbum in homines audio; cum regni aeterni causam mundanarum rerum causis cumulatam esse video, animus horret, et audivisse nolim. Nam hoc non est vulnus ferro mederi: sed ungue fricare et inferre. Quare inquit Vas electionis « *Profana et vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit.* »

*Num praestat ad flectendos animos flebili sermone dicere?*

R. Lacrymas ciere optimum est, in lacrymis enim triumphat orator: sed cum nil facilius quam lacrymae arescat, non semper quasi perpetuo fletu dicendum est. In vitium enim lacrymae ducunt, si longius perducantur, quam res et natura ipsa postulat. Nolim itaque oratorem sacrum molliter et nimium flebili sermone agere, ita ut non apud viros, sed apud mulierculas puerosque nugari, et magis cor tetigisse

quaerela, quam devicisse videatur. Flectat igitur animos, haec summa est: inflammet, exagitet ac vincat, et victoria ejus sit semper in Cruce Domini, in timore, et charitate.

*Undenam sacri oratoris verba vim, ac robur accipiunt?*

R. A Deo ipso primum, ut antea dictum est; secundo a vita moribusque dicentis. Vis itaque magna erit in verbis, si vita dicentis respondeat: nam summopere exemplo trahimur, et si moribus dicentis non erunt absona dicta, animos impellent facile, et flectent.

*Quid ponderis affert eloquentiae oratoris exemplum?*

R. Maximi momenti est ad eloquentiam dicentis exemplum. Quare Apostolus ad Timotheum scripsit. «*Forma esto fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in fide, in castitate.*» Veritatem libentius omnes complectimur quum ab illo qui veritatem suadet diligi videamus, et hunc quasi veritatis testem adhibemus. Quare non tantum in sapientia verbi victoria eloquentis continetur, quam in exempli virtute: et ut ait Divus Bernardus. » *Si semper magis movent exempla quam verba, id sane potissimum in hoc negotio contigit; tuae nimirum voci prope invictum robur tum demum addideris, cum eam vitae rationem inieris, quae te tuosque auditores plene cumulateque convincat, id tibi prope persuasum esse, quod aliis persuadere niteris. Tuis ipsius verbis tua quoque facta respondeant. Id ipse fac, quod me facere vis, et ad meliorem me formam rediges, ad justitiae semitas me revocabis . . . . . . . Persuadet facile quod dicit, qui virtutum, quas e suggestu docet, et veritatum, quae admirationem pariunt percelluntque, perspicuum exemplum in seipso suis auditoribus exhibet.*»

*Quid obest eloquentiae sacrae non probata concionatoris vita?*

R. Efficit, ait Augustinus, ut homines obedienter non audiant qui se ipsum non audit. » *Est enim naturae consonum*, inquit Magnus Gregorius, ( in homil. 12 in Evang. ) *ut ejus contemnatur sermo, cujus vita contemnitur.* » Addam etiam eloquentem esse non posse nisi virum probum; nam recta vitae ratio eloquentiam parit.

*Praestatne in sacro oratore doctrina, an vitae probata ratio?*

R. Sunt qui disputant num vis ingenii et doctrina praestet, an exemplar vitae sanctissimum: nam sine ingenii vi, et doctrina nullam eloquentiae copiam esse arbitrantur: sine vitae exemplo nullam verbis et sententiis vim. Ego, ut verum fatear, haec omnia et pari mensura in sacro oratore postularim; verum si quid desiderandum esset, si me interrogas, ingenii et doctrinae copiam desiderari optarem. Nam ingenium et doctrina saepius admirationem, non fructum pariunt, vitae integritas habet aliquid majus quod animos in sui imitationem rapit, etiam nulla voce adhortante. Equidem sermo rudis in ore hominis sanctissimi eloquentior, ita vivam, est, et ad persuasionem aptior doctrinis artibusque omnibus. Quod si etiam vitae sanctitate haud mediocris doctrina, bonumque adjungatur ingenium, orator is demum de voluntatibus auditorum triumphum ducet, eosque ad bonam frugem rediget. Praedicatio enim christiana exemplis praecipue alitur: et si exemplis careat infirma et inanis, si valeat abunde potens et utilis erit.

*Quinam sunt loci sacrae eloquentiae proprii?*

R. Hi sunt: Sacra Scriptura, Sancti Patres Ecclesiaeque Doctores, Theologia, Historia Ecclesiastica. His addas de vita et doctrina christiana probatos Scriptores.

*Dicas quaeso nonnulla de Scriptura Sacra.*

R. Oratorem sacrum pene omnia quae dixerit ex sacris litteris depromat oportet, nihil enim ad docendum aptius, ad delectandum promptius, ad movendum utilius est. Quare jure bono Scriptura Sacra praecipuus eloquentiae hujus locus habendus est. Qui enim a Sacra Scriptura deflectit, quid muneris sui ratio postulet, ignorare videtur. Hanc legat igitur assidue ac diligenter, et devote meditetur, variosque sensus perpendat, sententias, exempla consideret, cumque ad dicendum aggrediatur ita rem perficiat, ut ex optima Scripturarum tractatione oratio efflorescere videatur. Multum auctoritatis habent etiam sententiae et exempla; quae si orationi intexere valeat, maximum pondus accedet. Caveat tamen ne nimius sit: est enim hic etiam modus habendus. Eligenda sunt quae in rem nostram optime conveniant, et hoc pacto exponenda, ut non vi coacervata, sed sponte exorta esse videantur.

*Quid de Sanctis Patribus dicendum est?*

R. Dicendum est Sanctos Patres, qui verbum Dei scriptum et traditum copiosius explicarunt, nobisque, Deo adjuvante, transmiserunt, non solum post Sanctam Scripturam utiliores, sed oratori sacro ita necessarios, ut eorum vestigiis insistere omnino debeat. Ii enim non solum doctrinam afferunt, sed artem: nam quidquid ab iisdem docetur, quonam pacto pro concione doctrina christiana pertractanda sit apprime declarat,

quod omnibus artis praeceptis anteponi velim. Ut igitur sapientiam, et eloquentiam sibi paret orator, legat ante alios omnes Chrysostomum illum, qui Tullianam ubertatem exaequavit, et copia ac gravitate dicendi caeteros omnes christianos oratores antecelluit. Neque enim scriptorem alium unquam legi, qui vel ingenii acumine, vel sententiarum robore, vel grandiloquentia quadam, praepotentique sermonis vi huic sit comparandus. Legat et Gregorios Nazianzenum, et Nyssenum,qui ex artis praeceptis orationes suas saepe metiuntur: legat et Basilium illum, quem Demostheni aliquando comparare non renuerim. Cyprianum quoque, Ambrosium, Augustinum, Leonem et Gregorium cognomento Magnos, Hieronymum et Bernardum prae manibus quam saepissime habeat ac meditetur. Ex his enim omnibus veram eloquentiam, christianamque concionandi artem facile arripiet.

*Nonne et studium Ethnicorum aliquid habet utilitatis?*

R. Non inficiabor etiam Ethnicorum studium nonnihil concionatoribus prodesse posse: sed hoc contendam nec esse in omnibus imitandos, nec nimio conatu assequendos, ita ut, Sacrarum Scripturarum Sanctorumque Patrum verbis et sententiis posthabitis, saeculari quadam pompa nimis gaudere ac se efferre christianus orator videatur. Non enim artificiis et lenociniis verbum Dei indiget: aliud enim est hominis, aliud Dei verbum loqui: nec iisdem fontibus manat sacra et saecularis eloquentia, nec paribus viget formulis ac legibus. Multos ( ni fallor ) concionatores italicos a sincera eloquentia christiana, rectoque officio deductos arbitror nimio et vano Tullianae imitationis studio. Itaque hoc loco velim concionatoribus

in memoriam revocare, Hieronymum diris plagis vapulasse quod Ciceronianus esset, non christianus. » *Quamvis autem* ( ait Ludovicus Granatensis, Ecclesiasticae Rhetoricae praeceptor optimus, quo magistro magnus ille noster Segnerus se usum esse fatetur ) *idem divus Hieronymus ad Rufinum scribens hoc fuisse somnium dicat, merito tamen illum vapulasse confitemur, non quod Ciceronianus esset, sed quod ita se Ciceronis studio addixisset, ut sacrarum Litterarum studium prorsus negligeret.* » Ad hunc ergo modum siquis M. T. Ciceronis lectioni incumbat, ut Sacrarum Litterarum studia posthabeat, nonne jure meritoque non objurgabitur?

*Quid dicendum nobis de Theologia?*

R. Theologiae nomine hoc loco contineri volumus Conciliorum, Summorumque Romanorum Pontificum ( sunt enim ii perennes magistri fidei ) canones et decreta, nec non gravissimorum Theologorum disputationes. Primum ad haec orator confugiat; ut quae dicit, vel Ecclesiae auctoritate fulciat, haec enim summa est, vel Doctorum Ecclesiae Sanctae; quae, ubi omnes uno ore consentiunt, maximum habet et ipsa pondus; deinde ut rationes inveniat quibus doctrinam accurate et sancte declaret. In usu autem tria servanda potissimum praecipimus. 1. Ecclesiae definitiones a scholasticis quaestionibus distinguat. 2. Ex scholasticis quaestionibus illas tantum attingat, quae orationi plus utilitatis quam subtilitatis afferre possunt. 3. A vocabulis obscuris, et jejuna scholarum argumentatione caveat. Catechismum Sacri Concilii Tridentini jussu editum si orator sibi proponat, praeclarissimum exemplum imitandum habebit.

*Quid affert oratori ecclesiastico historia ecclesiastica ?*

R. Non solum annales Ecclesiae Sanctae universae, verum etiam sanctorum hominum vitas, ordinum religiosorum historias ab Ecclesia probatas sub historiae ecclesiasticae nomine complectimur. Hae omnes magnam argumentorum exemplorumque copiam oratori suppeditabunt. Duo tamen in usu observanda sunt. 1. Nequid afferatur quod dedeceat, aut sinistrae aditum interpretationi patefaciat. 2. Omnia quae narrantur fide probatorum Scriptorum fulciantur, quas veluti testes adhibebimus, ipsorum nominibus et verbis plerumque usurpatis.

*Quid de doctrina ascetica dicemus?*

R. Asceticorum doctrinam magno oratoribus sacris adjumento esse fatebimur; est enim tradita vel a gravissimis theologis, qui non solum de fide et moribus disputarunt, sed de vitae christianae ratione sancte sapienterque praecepta dedere: vel a piis viris, qui quod in hoc pene omnem operam insumpserunt, proprio Asceticorum nomine sunt appellati. Ex istorum libris rerum sententiarumque copiam orator haurire potest. Caveat tamen ne in tractatione eamdem servet quam ii dicendo rationem. Aliud enim est pias meditationes legendas piis lectoribus praebere, aliud dicere ad docendum, ad delectandum, ad movendum.

*Potestne orator a philosophia aliisque profanis disciplinis aliquid depromere ?*

R. Potest, dummodo caute. Argumenta ex philosophia deprompta vim magnam interdum afferre possunt, dummodo ad populi captum accommodata sint, et iis raro utamur. Nam si popularem hominum intellectum excedent, oratio frigebit, et obscuritate ipsa

languescet, nulla audientium utilitate: si crebrius usurpentur, oratio disputationis profanae speciem prae se feret, et dignitatem pondusque proprium amittet. Ex caeteris quoque disciplinis parce aliquid attingere licebit. Historiarum parcissimus usus: nullus ex fabulis poetarumque fictionibus. Recordetur Orator sancta sancte tractanda esse, nec audientium eruditioni, sed Fidei serviendum esse.

*Quibus praeceptoribus, ut quidquid est artis ad dicendum teneat, sacer orator uti potest?*

R. Legat ante omnes Augustini aureum sane librum de Doctrina Christiana, in quo praecepta selectiora rhetorices et christianae eloquentiae tradit, stylo an lucidiore, an potentiore incertum est. Poterit etiam legere Ludovici Granatensis Rhetorices ecclesiasticae libros, et Augustini Valerii Cardinalis, (qui proh! pudor aut in omnium oblivionem jacent, aut contemptu laborant) optimos, ita vivam, concionatorum duces, omnique studio dignissimos. Saepe in manibus sumat etiam de Sacra Eloquentia librum quem P. Blasius Gisbertus Soc. Jesu superiore saeculo edidit, non despiciendum sane ab enucleatis hominibus, et Francisci Fenelonii dialogos tres de Eloquentia generatim, deque sacra potissimum; Andreae denique Faventini Franciscalis Capulati epistolam didascalicam ad concionatorem novensilem. Multos praeteream, ne longius progrediar, et solum inter recentiores proponam Guillelmi Audisii de Sacra Eloquentia libros, optimos sane atque perutiles. Hoc tantum in illis notare ausim, scriptorem illum clarissimum, disertissimumque Francigenis concionatoribus, plus quam velim, favere; si enim itali homines illorum vestigiis insistant, opus

periculosae plenum aleae aggredientur, nativamque eloquentiam peregrinis coloribus facile vitiabunt.

*Quot sunt genera Sacrae Orationis?*

R. Omnes orationes sacrae ad duo genera referri possunt, aliae enim ad docendum, aliae ad hortandum et flectendum pertinent. Primi ergo generis didascalicas appellabimus, alterius exhortativas dicemus.

## §. I.

### *De Genere Didascalico.*

*Quaenam sunt Orationes quae ad genus didascalicum spectant?*

R. Illae quae doctrinam christianam sibi explicandam, et confirmandam proponunt. Hujus generis Religio universa materies est: non solum enim Fidei Christianae praecepta, sed morum et vitae tractanda suscipimus. Hae orationes sub catechesis nomine veniunt. In his facilis et popularis sit sermo; nihilque theologicae disputationis retineat: vario exemplorum et illustrationum genere exornetur, amet motus animorum lenes et ubique diffusos, perspicuitate summa niteat, verborumque proprietate, et pene dixerim comitate sit contenta. Ejus enim finis est docere, sed eo pacto, ut veritas pateat, placeat, moveat, veluti docuit Augustinus. In hanc sententiam Salesium dixisse reor, cum inquit » *da animas, caetera tolle.* »

*Quid dicendum de oratione morali?*

R. In orationibus quae ad morum disciplinam pertinent, custodiendum in primis est, ut quidquid proposueris, ita argumentis munias, ut cuivis facile pateat. Sunt nonnulli qui multis auctoritatibus proposita

sepire, ut ita dicam, gaudent: probo: sed nolim sacras misceri profanis. Orator sacer in Christo et a Christo vim omnem afferat Orationi, neque philosophorum auctoritatem interponat, sed Patrum et Ecclesiae Sanctae Doctorum. Quidquid extra Evangelium est, obstat non adjuvat. Caveat etiam ne sit in argumentis nimius: copia saepius intelligentiae plebis officit, quae paucis adquiescere solet. Velim etiam cum dogmate ita moralis doctrina cohaereat, ut non vi, sed sponte venisse, non arte parata, sed veluti ex eadem re effloruisse, ut semper id quod propositum fuit comprobare videatur.

*Quid dicendum est de controversiis?*

R. Cum aliquid in controversiam sive disceptationem venit, in rebus ad religionem pertinentibus, caute se gerere debet orator. Si enim pravi homines dogmata impugnant, dogmata quae impugnantur prae caeteris tueri debet Orator, eo pacto, ut veritas eluceat nulla ira et odio: errores enim propugnare oratoris officium est, non odia in errantes exercere. Verum praestabit doctrinas Ecclesiae Sanctae exponere et declarare lucido ordine et luculenter, quam falsas aggredi, et prope gladiatorio more cum adversariis in arenam descendere. Lux veritatis, Gratia influente, facilius oculos et animos ferit si dulcibus verbis et charitatis vi niteat, quam si pugnacibus scateat. Quare etiam cum oratori sacro aliquid refutandum sit, ita orationem suam componat et ordinet, ut veluti sponte et necessario argumenta contraria diluantur; non acie directa, sed pondere proprio; et si rem aliquam refutari separatim oporteat, ita rem conficiat, ut amice fecisse, non irate aut pugnaciter videatur. Sunt tamen tempora quaedam quibus aut dolos detegere,

aut periculum imminens opus sit, in quibus orator libertate evangelica uti potest. Utatur ergo, dummodo parce, et charitate magistra.

## §. II.

### *De Genere exhortativo.*

*Quid est genus exhortativum?*

R. Id est in quo ad aliquid Fideles hortamur. Ad hoc conciones referuntur, quae in id omnes spectant, ut homines per doctrinae Christianae documenta rectam vivendi rationem incant. Hae ad genus deliberativum pertinere facile omnes norunt, iisque praecepta quae generatim dedimus convenire nemo inficiabitur. Hoc unum observare hoc loco velim ut orator numquam animos aggredi audeat, nisi mens antea satis expugnata fuerit. Argumentis ergo ad animorum motus et ad voluntates flectendas facilem viam sibi sternat oportet: probet, confirmet quae sibi declaranda proposuit primum, tum facilis ad cor *audientium* aditus erit.

*Potestne genus exhortativum cum didascalico conjungi?*

R. Potest; et bene est, dummodo inter doctrinam et hortationem vera conjunctio intercedat, ita ut non solum id quod docemus cum hortatione et suasione cohaereat, sed etiam iisdem argumentis et ad docendum et ad suadendum utamur. Sacros concionatores hoc genus saepissime, et admodum fructuose pertractare posse confirmo.

## §. III.

### *De explanatione Evangelicae Lectionis vel Sacrarum Scripturarum.*

*Quomodo Orator in explanandis lectionibus Evangelii vel Scripturarum se gerere debet?*

R. Ita se gerere debet, ut oratio nec brevitate, nec perspicuitate, nec quadam sermonis munditie careat. Primum evangelicam lectionem, sive Scripturarum, quam explanandam aggreditur, breviter exponat, non tamen jejune et inornate; breve praemittat, si placet, exordium, quo audientium animos captet et sibi conciliet, sed nullo artis indicio; et sacrae Lectionis expositionem explanatio sequatur. Deinde in auditores transferat, ita ut illa explanatione doceantur, et saluberrimum fructum verbi Dei captent. Simplex oratio sit, facilis, et perspicua: et expositores, ut ait Augustinus, « *in omnibus sermonibus suis primitus elaborent ut maxime intelligantur, ea quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligat, aut in rerum quas explicare atque ostendere volumus difficultate ac subtilitate, non in nostra locutione sit causa, quo minus, tardiusve, quod dicimus, possit intelligi.* » Quae sibi declaranda proposuerint, certis Scripturarum et SS. Patrum testimoniis studeant confirmare: ita tamen ut res satis per se aperta et probata, non necessariis haud oneretur testimoniis. Neque vim Scripturis faciant in explanatione, et sensum violenter extorqueant vel adulterent, sed ita assumant, ut Scriptura ipsa sponte sua affert studiosis lectoribus, ut magis utilitati quam curiositati, et inani subtilitati serviant. Denique illa praecipue deligant

quae ad componendos mores, vitia objurganda, pietatem promovendam apprime valent.

## §. IV.

### *De Homilia.*

*Quid est homilia, et quotuplex?*

R. Homilia dicitur sacra oratio in qua locum Scripturae Sanctae ad populi utilitatem Episcopus, sive quis pastorale aliquid munus fungitur, exponit. Graece consuetudinem, interdum sermonem familiarem docentium indicat. Hoc dicendi genere Sancti Patres usi sunt cum ad populos suos loquerentur sive de Scripturis, sive de pietate colenda, et de doctrina Christiana. Duo genera numerantur, alterum simplex, alterum oratorium.

*Quid est homilia simplex?*

R. Ea est, quae nulla praestituta propositione familiari sermone discurrit, quo illustrat, explicat, amplificat aliquem Scripturae locum. Habet breve exordium, quod vel ab ipso quem expositurī sumus loco sumitur, vel a re ipsa quam per locum illum declarare volumus. Habet narrationem, et, ut aptius loquar, explanationem quae et figuris et affectibus et multa gaudet amplificatione. Denique conclusionem habet, qua tota oratio in auditores transfertur, prout eorum postulat necessitas, et uberior utilitas.

*Quaenam est homilia oratoria?*

R. Ea est, quae hoc tantum a justa oratione differt, quod omnia ab uno Scripturarum loco argumenta eruit. Simplex et materia et propositio est: nec tamen oratio vi et arte justae orationis caret. Non

omnes loci ad hanc idonei aptiquo sunt. Illi eligendi sunt praecipue in quibus fusius aliquod doctrinae sacrae caput exponitur, vel in quo parabolae, facta, res gestae denique exponuntur, quae documenta pietatis graviora prae se ferunt. Narrationes etiam, quibus dogmata et nostrae religionis mysteria continentur, maximam utilitatem parere fidelibus possunt. Graecos Patres apprime excelluisse in hoc genere satis patet.

## §. V.

### *De Panegyrica Oratione.*

*Quid sibi vult panegyrica oratio?*

R. Panegyris apud Graecos erat conventus publicus. At quoniam in his conventibus oratores vel Deorum vel heroum laudes celebrare consueverunt, panegyrica oratio pro laudatione habita est. Nunc apud nos dicam Panegyricam orationem esse laudationem alicujus Sancti hominis, cujus cultum Ecclesia fidelibus proponit ad majorem Dei gloriam, ad pietatem promovendam, denique ad audientium imitationem excitandam. Quae sit laudationis materia antea fusius dictum est, nunc aliquid de forma attingendum esse videtur.

*Quaenam est orationis panegyricae forma?*

R. Panegyrica oratio tota in propositione recumbit, et ab illa pendet. Partes easdem postulat quas justa oratio, sed semper ad finem spectat qui est in laudatione positus, ad quem propositio ipsa perducat oportet. Et ut haec propria ac definita sit, oratori elaborandum est; si enim communis, languescit et fri-

get. Statuat ergo virtutes quibus proprie non solum se ornavit sed excelluit Beatus ille vir quem laudandum suscepimus: neque de omnibus dicere necesse est, sed de iis praesertim quibus ab aliis differt, et quae sui tantum similem efficiunt. Facta et dicta referenda sunt audientibus melius profutura: ex his enim et luculentior laus, et uberior utilitas manat. Argumenta omnia autem quibus propositio confirmari potest ex Beati vita sumenda sunt, vel si non in vita universa, at in aliquo vitae spatio versetur oratio, ab illo argumenta sumatur oportet. Laudabo si temporis ordine servato in orationem prodeant: ita ut prima sit laus pueritiae; postea de adolescentia, caeterisque vitae aetatibus sermo habeatur. Nihil enim tam ingratum auditoribus, quam nullo temporum ordine servato adamussim de omnibus dicere. Propositionem confirmatam peroratio excipiat, quae animos audientium excitet ad eas quas proposuimus virtutes assequendas. Praestat interdum post argumentationem aliquid sive factum sive prodigium exponere, quo mentes erigantur, ac calorem quemdam concipiant: facilis enim post haec transitus ad movendum. In omnibus orationis partibus venustatem quamdam, et copiam et elegantiam postulo; hoc enim orationis genus sine delectatione esse nullo pacto potest. Cavendum est nihilominus ne delectationis causa vel nimium ornatum, vel nova et indicta quaeramus: haec enim laudationem infirmant, et quidquid esse potest utilitatis adimunt.

*Quot sunt panegyricae orationis genera?*

R. Duo: alterum totum in exornando est, alterum ad doctrinam audientium et hortationem maxime spectat. In altero laudatio et virtutum admiratio: in al-

tero audientium utilitas et profectus. Primum genus splendore et ornatibus et copia sententiarum verborumque se effert: secundum ad vitae emendationem, religionis augmentum praecipue pertinet. Nihil illo speciosius, nihil hoc fructuosius esse affirmarim. Virtutis admiratio virtutem parit, si primum genus sequamur; doctrina ex narratione virtutum meliores reddit auditores, si alterum capiamus. An hoc an illud sequamur denique ex prudentia pendet: videndum est enim quos habeamus auditores: si enim omnes rem christianam edocti, urbanique sint, primum genus optimum erit; si minus culti et forenses, secundum. Sed de his hactenus.

## §. VI.

*Quod sine auxilio Dei de Deo nemo potest recte dicere.*

*Undenam Sacro Oratori principium elocutionis et totius eloquentiae sumendum est?*

R. Principium elocutionis et totius eloquentiae ecclesiasticae, ut Valerius Cardinalis docet, a quo verba mutuari gaudeo, sumendum est a divini auxilii imploratione. « Quis enim audeat de Deo sine Deo dicere? Quis de rebus divinis sine ope divina tractabit? Quamobrem sine meditatione, nisi precibus ad Deum adhibitis, ecclesiasticus Orator non audeat ad dicendum assurgere, ne interdum divino auxilio destitutus, praeclarissimum munus dedecoret. Hortarer etiam, ut nisi sumpto sanctissimo Sacramento Eucharistiae et pane caelesti recreatus angelicum hoc munus non susciperet; atque Deum oraret, ut aperiat ei ostium sermonis ad loquendum mysteria Christi, quod

nisi aperiatur, infructuosa futura sit ejus oratio. Precibus adjungendum est studium, adjungenda est diligentia et assidua lectio Sacrorum Librorum; sine qua, qui nobilissimum dicendi munus sibi assumunt, accidit saepe, ut in varios errores, et in confusionem incidant: consilio etiam doctorum hominum uti debet, cum potest, ut ea dicat quae sunt dicenda: alia in aliud tempus rejiciat. » ( *Augustini Valerii de Rhetorica Ecclesiastica lib.* 3. *cap.* 5. )

Haec pauca de Sacra Eloquentia disserui, quoad mihi saeculari homini melius lucidiusque evenire potuit, non ut Sacerdotes docerem ( tantum enim numquam sum ausus ) sed ut tyronibus viam ad hanc provinciam, non meis verbis, sed doctissimorum virorum doctrina patefacerem Quod si, Deo bene adjuvante, id quod erat in votis sum assecutus, ex animo gaudeo; sin vero tenuitatis meae causa quod cupiebam assequi non detur, veniam mihi tamen a Sapientibus facile impetrandam esse confido.

## CAPUT XXI.

### DE PRONUNTIATIONE

*Quid dicendum est de Pronuntiatione?*

R. Postremam esse quidem oratoriae facultatis partem, si ordinem in tractando consideres; sed tanti tamen momenti, ut primas, secundas, et tertias ei Demosthenes merito et jure tribuerit.

*Quid est Pronuntiatio?*

R. Est vocis gestuumque, pro rerum verborumque varietate, apta conformatio. Quanta porro sit illius vis et utilitas, docet Tullius, cum ait, infantes et

indisertos homines, actionis dignitate, eloquentiae saepe fructum palmamque tulisse: disertos vero bene multos, actionis deformitate, infantes fuisse judicatos. Hinc Pronuntiatio recte vocatur ab eodem Tullio, *Quaedam corporis eloquentia*; et alibi, *Sermo corporis* ab eodem etiam appellatur.

*Quot res sunt ad recte pronuntiandum necessariae?*

R. Tres: memoria, vox, et gestus. Est enim memoria quasi fundamentum actionis, de cujus vi gratiaque multum depereat necesse est, si memoriter non pronuntietur oratio, et si orator non possit a commentariis oculos et vultum avertere.

## §. I.

### De Memoria.

*Quid est Memoria?*

R. Memoria, ut est eloquentiae pars, definitur a Tullio, *Firma rerum ac verborum recordatio.* Est autem duplex memoriae genus. Alia est artificialis, alia naturalis.

*Quid est artificialis Memoria?*

R. Artificium memoriae a veteribus traditum, constat locis et imaginibus. Loci se habent instar chartae, imagines vero instar scripturae. Qui ergo memoriam artificio volent excolere, haec ferme observabunt.

*Quaenam sunt Artificia Memoriae?*

R. Haec oratoribus assignantur praecipue.

1. Animo cogitabunt locum aliquem amplum, speciosum, multa partium ac rerum varietate distinctum; cujusmodi ferme est templum, basilica, forum vel aliud nobile id genus aedificium.

2. Locus ille debet oratori notus esse ac perfamiliaris, ita ut *nota magis nulli domus sit sua.* Firma quippe, et plusquam firma debet esse ejus rei memoria, quae aliam juvat ac firmam reddit.

3. Loci illius partes debent modicis quibusdam intervallis esse disjunctae: ne si nimis confertae sint, confusionem pariant: distrahant vero, si longius distent.

4. Hujusmodi res ac partes sunt ferme ostium, fenestra, caminus, columnae, anguli, parietes, statuae, hortus, fons, collis, imago, tabella, aliaque id genus.

5. Variis hisce, quos diximus, locis commendanda sunt, et ordine committenda scripta vel cogitata, quorum recordari cupis; sed notata naturalibus quibusdam signis, quae memoriam illorum statim et facile refricare possint: v. g. si sit de re militari, vel de navigatione, vel de agricultura, vel de literis dicendum; rei militaris imago erit gladius; navigationis, anchora; agriculturae spica, vel aratrum; literarum, liber, etc. Satis est enim ut genus ipsum videatur. Sed et metaphorica satis superque admonent; ut lupus, sus, asinus significant primum de alicujus rapacitate, deinde de sordibus et immunditia, postremo de stupiditate tractari oportere. Item ovis, turtur, ciconia, mite ingenium, castitatem, et pietatem erga parentes, repraesentabunt. Atque ita de aliis.

6. Utendum est, inquit Tullius, imaginibus agentibus, acribus, et insignitis, quae celeriter occurrant animo, illumque validius feriant.

7. Cum pronuntianda memoriter erit oratio, supradicta loca recensebis, et reposces quod unicuique credideris.

8. Denique imagines illae pro rerum varietate mutari subinde poterunt, locis iisdem remanentibus. Verum, ut ingenue dicam quod sentio, artificium illud nonnullam habere poterit utilitatem ad multa nomina ex ordine repetenda, vel ad res diversas ordine complectendas. Ast ad singula perpetuae orationis verba perdiscenda, parum oppido vel nihil admodum prodest; quia singulorum verborum imagines memoriae mandare infinitum esset.

Satius itaque est videre quo pacto juvari possit et augeri ea, quam a natura hausimus, memoria, quam operam et oleum perdere in laboriosa illa, quam tradit Raymundus Lullus, locorum imaginumque doctrina, quam meram ostentationem, et venditationem meram ausim appellare.

## §. II.

### *Quae artes memoriam adjuvant.*

*Quibus artibus vere juvari potest Memoria?*

R. 1. Ars praecipua juvandae memoriae est ordo seriesque rerum, et commoda quaedam dispositio, judicio ac ratione facta. Nempe unum facilius est retinere, quam plura: quae autem apte cohaerent inter sese, ea quodammodo unum fiunt; quemadmodum ex pluribus annulis fit una catena.

2. Facit plurimum ad memoriam, si scribatur oratio. Scripta enim altius descendunt in animum, quam lecta tantum, vel audita.

3. Placet Quintiliano, ut ad scripti oram, locis memoratu dignioribus, apponantur aliquae notae, quae memoriam excitent: et quo res altius haereant, vult

appingi anchoram, v. g. si de nave dicendum sit; spiculum vero, si de praelio, etc.

4. Juvabit etiam non parum in iisdem quibus primum orationem scripseris, chartis ediscere.

5. Non aspernanda est monitio quam apud eumdem Fabium ibidem legere est. Si longior oratio memoriae mandanda sit, proderit per partes, non tamen nimis exiguas, illam ediscere.

6. Si prae nimio pudore metuve titubet vacillans tyronis memoria, cogitet de humanitate audientium; nec tam universos sibi proponat quam singulos.

7. Denique, si quis unam et maximam memoriae quaerat artem; labor est, usus et exercitatio. Ut enim observat Fabius, et ut omnes una voce ac mente consentiunt, nihil est quod magis cura augeatur, negligentiaque intercidat quam memoria; quae si excolatur quotidie, majorem in modum confirmabitur, et invalescet: sin vero negligatur, minuetur sensim, et consenescet.

Quantum autem natura simul studioque valeat memoria, testes sunt Themistocles, et Hortensius: testis est Mithridates cui duas et viginti linguas, quot nimirum gentibus imperabat, notas fuisse traditur: testis item Cyrus, qui suorum omnium militum etiam gregariorum nomina tenuisse perhibetur.

## §. III.

### *De Voce.*

*Quid de Voce dicendum est?*

R. « *Ad actionis usum ac laudem, maximam sine dubio partem vox obtinet*, inquit Tullius de Oratore,

*neque tam refert qualia sint quae dicas, quam quomodo dicantur.»* Igitur circa vocem tres hasce potissimum leges diligenter observabis. Prima lex haec est ut dilucide, articulatim et sincere pronuntietur, ita uti integra verba, syllabaeque omnes proferantur. Nolim tamen syllabatim sic pronunties, quasi si litteras computando annumerares; quod esset molestum ac putidum.

Ad eamdem legem pertinet etiam, ne volubili quadam praecipitique celeritate dicendi incitata feratur oratio; sed vox respiratione recreetur, et spiritus inter dicendum suspendatur identidem, et auditoribus spatium aliquod cogitandi relinquatur. Hoc nimiae volubilitatis vitio vehementissime laborabat Hatherius ille, quem idcirco *sufflaminandum esse* facete dicebat Augustus, sumpta a curribus eleganti metaphora. Est enim sufflamen retinaculum rotae currentis. Unde etiam quoties peroraret, solebat a tergo servum adhibere, qui properantem, tactu vestis, opportune moneret, et currenti quoddam veluti fraenum injiceret.

Secunda lex haec esto, ut pro argumenti, motuumque praesertim varietate, vox etiam opportune varietur, et utcumque se affectum videri volet orator, et audientium animos moveri, ita etiam certum vocis sonum adhibeat. Iracundia postulat vocis genus acutum, incitatum, crebro incidens: miseratio et moeror flexibile, plenum, flebile, interruptum: voluptas effusum, lene, tenerum, hilaratum: metus demissum, haesitans, abjectum, etc.

Praeterea mutanda tibi vox erit pro variis orationis partibus. Aliam enim vocem flagitat Exordium, aliam Narratio, aliam Confirmatio, aliam Peroratio.

In Exordio, nisi forte indignatione constet, voce utendum submissa ac verecunda. Nec debet Orator simul ac dicturus prodiit, perfricare frontem, et in verba statim erumpere. Ceteroqui futurum est ut feroculum oratorem jure omnes aversentur. Sed oportet, ut paululum cogitatione quasi defixus moretur: idque tum quod auditores haec oratoris cura delectet, tum ut interea ipse se colligat, et ad dicendum componat. Ita Ulysses apud Nasonem ( Metamor. L. 13. ) paulisper consistit, oculis in terram defixis, priusquam suam eloquentiam torrentis instar effundat:

. . . . Oculos paulum tellure moratos
Sustulit ad proceres, expectatoque resolvit
Ora sono, neque abest facundis gratia dictis.

Ab Exordio paulatim insurgit vox: ac in narrando quidem, voce utimur aperta simplicique; qualis fere est in sermone familiari. In Confirmatione et in argumentatione praesertim, voce utimur acriori. In Peroratione demum, quasi parta victoria, vox solet esse excitatior, ut ita ostendat orator se niti bonitate causae, magnamque fiduciam in auditorum probitate, prudentiaque collocare.

## §. IV.

### *De monotonia et cantu.*

*Quid huic gratae varietati opponitur?*

R. Gratae huic varietati opponitur e diametro unus ille insulsusque vocis tenor, quem Graeci *monotoniam* vocant, et qui non modo dicentem enecat, sed etiam audientes exanimat, et unde omnis orationis decor ac venustas deflorescit,

. . . . *ut citharoedus*
*Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem,*
inquit Horatius. Quis enim aequo animo ferat non alio vocis sono pronuntiari tragicos illos Senecae versus:

Soror tonantis (hoc enim solum mihi
Nomen relictum est) semper alienum Jovem
Ac templa summi vidua deserui aetheris,
Locumque, loco pulsa, pellicibus dedi.

Quam istos Terentii versiculos in Andria:

Vos istaec intro auferte: abite. Sosia,
Adesdum, paucis te volo.

Nec aliter dici lamentabile illud magnificumque: *Ingemiscite, Heroum animae, ad Plateas victi sumus*; quam hoc leviculum: *Amicus summus meus et popularis Geta heri ad me venit.*

Huic, quam tantopere commendamus, varietati, opponitur etiam cantus, qui nihil aliud est, si quaeris, quam clamosa quaedam, et uno ferme tenore subsultans naenia, similis ferme tabulis illis, quas, *monochromata*, seu picturas unicolores appellamus. Hoc maxime vitio laborare solent pueri, qui tragicarum et grandium rerum magnificentia capti, res minutas aut etiam festivas amant eodem illo spiritu pronuntiare, et Virgilii eclogas, aut Theocriti idyllia recitare, non secus ac si Milonianae perorationem, aut caedem Priami, vel Niobes lacrymas, Orestisve furores declamarent.

*Qua ratione huic vitio poterit occurri?*

R. Huic incommodo remedium adhibebitur, 1. si pueri rebus humilibus ac quotidianis aequabiliter et rotunde pronuntiandis assuescant; neque vero statim ad tragicam granditatem procurrant. 2. Si co-

rum̄ quae pronuntiant, germanum sensum penitus animadvertant. 3. Si interdum vernacula, non illa inflata, tragicaque, sed simplicia et quotidiana pronuntient. 4. Exerceantur aliquandiu in orationibus illis, quae varios motus ac vocis inflexiones efflagitent, ut videant quid submisse ac leniter, quid festive, quid atrociter, quid sedate, quid concitatius dicendum sit.

5. Denique ubi illa pronuntiationis quasi tyrocinia posuerint, poterunt citra periculum in rebus grandioribus tragicisque versari.

Tertia circa vocem lex haec est, ut ea, pro amplitudine loci, et auditorum multitudine, vel intendatur, vel remittatur, sed tamen nec ascendat ad supremum, nec ad extremum descendat. Nam vox si ima sit, vim non habet; si vero nimium acuta sit contentaque, delicatas ac teretes urbanorum hominum aures offendet.

Scio equidem hoc esse plebeculae rudioris ingenium, ut vocalissimum quemque, et valentissimum lateribus, ita optimum oratorem judicet; nullamque putet egregiam nisi quae *pontem indignetur*, actionem, in qua scilicet, et clamosae fauces, et vox ululans, et rigidi vultus torvitas, et pedum supplosiones, et brachiorum remigatio, et totius corporis dissoluta quaedam, intemperansque jactatio, et ilia denique inflata rumpantur.

Ciceroni vero longe alia mens erat. Ajebat enim venustissime clamosos hujusmodi *latratores* verius quam oratores, similes esse claudorum qui cum ambulare non possint, ad equum confugiunt. Ita illi in illa Stentorea voce, tamquam in jumento, suam omnem apud imperitos fiduciam reponunt; nec magis hoc nomine possunt oratores dici, quam bajulus possit dici citharoedus.

Sunt contra quorum dispar omnino est ratio; qui scilicet adeo frigide et oscitanter dicant, ut ubi Periclis instar tonare, irasci, fulgurare opus esset, nullos jaciant igniculos viriles, et lectoris tono Thyestaeas declamationes, decurrant. Hoc vitium in M. Callidio perstringit Tullius. Cum enim, jurejurando affirmaret Callidius paratum sibi ab inimico quodam venenum, sed interim rem adeo atrocem remisso vultu, voceque languidula diceret: « *Tuus ille mirificus languor mendacium clamitat,* inquit Tullius; *neque vero in vero crimine, tantopere frigeres: tu istud, M. Callidi, nisi fingeres, sic ageres?* »

Qui animo sunt ita comparati, dicant sane apud Sinenses, qui veterum Areopagitarum more, nullos excitari volunt motus, nullas dicendi faces adhiberi; neque Oratorem in perorando, paulum modo effervescere patiuntur.

## §. V.

### *De Gestu.*

*Quid Vocem subsequitur?*

R. Vocem subsequi debet Gestus, et varios animi sensus cum illa simul aperire. Qua de re colligemus ex veteribus ea tantum quae saeculi nostri moribus sunt accommodata. Multa siquidem ex antiquorum gesticulatione prorsus obsolevisse videmus. Gestus, inquit Valla, est actio quaedam et quasi pronuntiatio corporis: seu mavis cum Quintiliano « *Gestus est totius corporis motus, et conformatio* »

*Quid in Gestu generatim et universe cavendum est?*

R. 1. Nihil in illo sit effeminatum et molle; nihil nimis exquisitum aut elegans; nihil quod affectatam

quamdam diligentiam artemque redoleat. Monet enim Fabius actionem non esse deliciis nimiaque cura molliendam: et comptis illis, delicatisque Oratoribus saepenumero solet evenire, quod olim Sybaritarum equitatui contigit. Cum enim gens effeminata, et chorearum ad insaniam avida, suos etiam equos ad numerum, symphoniamque sallare docuisset; cum deinde ex umbraculis in solem ac pulverem contra Crotoniatas hostes fuit illis prodeundum; histriones illi equi, tubarum et martis ignari, motibus compositis, saltibusque numerosis repente lascivientes, se et exercitum totum misere perdiderunt. Ita umbratiles illi oratores ab imis unguiculis ad verticem usque venustuli, quando ex domestica exercitatione, in medium agmen, in pulverem, in clamorem, in castra, atque aciem forensem prodierunt, et se et causas suas in magnum quoddam discrimen conjiciunt.

2. Nihil in Gestu sit durum aut agreste, ne dum mollitiem fugimus, in contrarium rusticitatis vitium videamur incidere. Quamquam si in alterutro peccandum esset, facilius excusaretur rustica quaedam simplicitas, quam putidiuscula gestus, vocis, et habitus affectatio.

Licet autem artis praeceptionibus in dicendo nequaquam utamur, satis tamen apparet utrum aliquando didicerimus. Ut enim qui pila ludunt, inquit Tullius, non utuntur in ipsa lusione artificio palaestrae; sed indicat ipse motus, didicerintne palaestram, an nesciant: sic in orationibus, etiam si non adhibeatur gestus ex schola, facile tamen est intueri utrum is qui dicat, liberaliter aliquando fuerit institutus.

*Quid de totius corporis motu praecipiendum?*

R. Praecipitur 1. ut status corporis sit celsus, et erectus, et trunco magis toto, virilique quadam la-

terum inflexione sese orator moderetur. 2. Ne in statuae morem obrigescat, quasi si veru deglutisset, ut facete ajebat Epictetus. 3. Nec crebris, et incompositis corporis commotionibus vehementius agitetur, more furentis Sibyllae,

. . . . . cui pectus anhelum.
Et rabie fera corda tument . . . . .

Vitiosum quippe est huc illuc cursitare: quod olim exprobatum fuit Domitio Afro, quem *non agere, sed satagere*, non illepide dicebatur. Et cum alius quidam non minus actuosus orator multum concursasset in dicendo, facete rogavit eum adversarius Virginius, *Quot demum passuum millia declamasset?* Cassius quoque Severus adversus circumcursitantes hujusmodi oratores solebat poscere lineam, quae immodicas illorum excursiones prohiberet.

*Quid in capitis et oris totius conformatione servandum est?*

R. 1. Vitiosa est frequentior capitis jactatio, Maenadum instar, de quibus Catullus, carmine de Berecynthia, et Athi; *Capita Maenades vi jaciunt hederigerae*: aut instar famosae illius Messalinae, de qua Tacitus 11. Annalium: « *Ipsa crine fluxo, thyrsum quatiens, juxtaque Silius, hedera vinctus gerere cothurnos, jacere caput.* » Non tamen dedecet aliquando vel annuendo confirmare, vel abnuendo negare; vel capitis in latus inclinatione languorem, et aversione indignationem; aut alio simili motu, dubitationem, et ejusmodi affectus designare. Sed neque capite erimus immobili rigidoque, quod semibarbarum est; ut olim Rufus ille Rhetor, de quo ita Ausonius Epigrammate 50.

*Rhetoris haec Rufi statua est, si saxea, Rufus.*
*Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.*

2. Capite utemur non demisso, et obstipo, vel in cervicem reflexo, sed erecto potius celsoque: quamquam hic quoque modus servandus est, ne audaciae ac arrogantiae videatur; et capitis demissio potest aliquando tristitiam, luctum, moerorem, poenitentiam, et irae divinae placandae studium perbelle significare. Sic D. Remigius Francorum Regem Clodovaeum ad Christianam demissionem hortatur hisce verbis: « *Mitis depone colla, Sicamber.* »

Sed in ore, vultuque, et oculis sunt omnia. Animi enim imago quaedam vultus est, oculi sunt indices. Quapropter pro rerum natura, vultum indues modo hilarem, modo moestum, nunc blandum, nunc minacem. Ita Horatius:

Tristitia moestum
Vultum verba decent; iratum plena minarum;
Ludentem lasciva; severum seria dictu.

Frons exporrecta diffusaque hilaritatis indicium est: contra vero severitas indicatur fronte corrugata, caperataque, et superciliis vel contractis, vel etiam inaequalibus. Unde Tullius in Pisonem. « *Altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio respondit*... » Et pro Sextio: « *Tanta erat gravitas in oculo, tanta frontis contractio, ut illo supercilio, tamquam Rhadamantus ille niti videretur.* » Hinc etiam Petronius Arbiter:

Quid me spectatis constricta fronte, Catones?

Et post illum Martialis, lib. 1.

Contigeris nostros, Caesar, si forte libellos,
Terrarum dominum pone supercilium.

Orantem et aliquid a Deo poscentem indicant oculi in caelum sublati; ut res ipsa satis loquitur. Unde Cassandra.

Ad Caelum tendens ardentia lumina frustra.

Oculos avertere adversantis est, vel fastidientis, vel negantis. Sic misera Didonis umbra, conspecto apud inferos Ænea:

Illa solo fixos oculos aversa tenebat.

Oculi clausi meditantem et cogitantem animum produnt. Oculos in unum locum defixos habent, qui prae admiratione stupent. Unde Æn. 1.

Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno.

Praeterea demissi oculi modestiam, pudoremque significant. Sic Andromache Æn. 3.

Dejecit vultum, et demissa voce locuta est.

Denique nictantes oculi malitiam arguunt; rigidi stuporem; semiclausi adulationem, et insidias: torpentes segnitiem; vagi nutantesque libidinem: quae singula, si probare ex antiquis aggrediar, metuo ne longior fiam.

Illud certe omnino natura dictat, oculos ad res de quibus loquimur accommodandos esse; ne merito rideamur cum inepto illo Rhetore, qui cum diceret: *O Jupiter!* terram aspiciebat; cum vero diceret: *O terra!* caelum intueri solebat.

*Quid in brachii moderatione servandum?*

R. Brachia nec deorsum incomposita pendeant, nec immodice projiciantur, nisi in affectu vehementiori. Brachium extensum ac porrectum, potentiam, auctoritatem et robur arguit. Contra vero continere, ac cohibere brachium, est pudoris, et verecundiae.

Unde Tullius pro Caelio. « *Nobis olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga constitutus, ut exercitatione ludoque campestri tunicati uterentur.* »

*Quid circa manus digitosque praecipitur?*

R. « *Manus, sine quibus trunca esset actio ac debilis, vix dici potest quot motus habeant,* inquit Fabius . . . *Nam ceterae partes loquentem adjuvant: hae prope est ut dicam, ipsae loquuntur. An non his poscimus? pollicemur? vocamus? dimittimus? minamur? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? Gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, poenitentiam, modum, copiam, numerum, tempus ostendimus?* » Circa manus autem certae quaedam sunt ac definitae leges, quas sequi oportebit.

1. Manus in exordio non solet extendi. Ast ubi paulum effervescere coepit oratio, manus pariter exeritur cum illa, pariterque cum illa deponitur.

2. Pectori manus admovetur, cum de se ipso quis loquitur: at cum alloquitur alium, ad illum extenditur.

3. « *Manus sinistra numquam sola gestum facit,* inquit Fabius; *dextrae se frequenter accommodat:* » sive in digitos argumenta digerimus, causamque, ut olim Hortensius consueverat, partimur in digitis (quem morem hodieque nonnulli non infeliciter imitantur) sive adversas palmas, quasi repellendo, et repudiando objicimus.

4. Soloecismus gestu committitur cum aliud voce, aliud gestu monstramus; ut Rhetor ille, de quo supra dictum est, qui caelum appellans, tellurem intuebatur, gestuque monstrabat.

5. Urgemus crebra manuum impressione. Supplicamus manibus elatis junctisque. Confirmamus manibus pronis, gravi quodam, et decenti motu depressis.

6. Admirantium est manus tollere. Unde Tullius in Academicis Quaestionibus: « *Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus saepe tolleret.* » Et ad Caesarem Epistolarum libro septimo: « *Sustulimus manus ego et Balbus.* » Huc etiam pertinet illud Catulli Carmine 53.

Admirans ait haec, manusque tollens,
Dii magni, salapusium disertum!

7. Manu extenta facimus nobis audientiam, indicimusque silentium. Hinc Persius in Satyris:

Fert animus calidae fecisse silentia turbae
Majestate manus . . . . . . .

Lucanus etiam libro primo de Caesare:

. . . . . . . . . Tumultum
Composuit vultu, dextraque silentia jussit.

Imo in Actis etiam Apostolorum Paulus hunc morem usurpasse legitur: « *Surgens autem Paulus, et manu silentium indicens, ait: Viri Israelitae, et qui timetis Deum, audite.* »

8. Manus ori admota, tacentis et silentium suadentis habitus est. *Digito compesce labellum*, inquit Juvenalis; quo etiam gestu simulacrum Harpocratis effingebant Ægyptii veteres.

9. Solebat Tullius, antequam diceret, barbam demulcere, quod hodieque nonnulli solent. Sunt etiam qui aut frontem fricent, aut lacunar intueantur: sed haec vitiosa sunt. Vitiosum est quoque manus vel supra caput attollere, vel infra pectus demittere, praeterquam in summis affectibus.

10. Pectus ferire aut femur, prope scenicum est.

11. Manus optime a sinistro incipit latere, dextroque deponitur.

12. Hoc esse cavendum, ait Cicero, ne nimiae sint digitorum argutiae, neve immodica sit illorum gesticulatio; quo vitio laboravit summus Orator Hortensius. « *Cum enim*, inquit Agellius, *manus ejus, inter agendum, essent argutae admodum et gestuosae, maledictis, compellationibusque probrosis jactatus est; multaque in eum quasi in histrionem, in ipsis causis atque judiciis dicta sunt.* »

Has autem omnes, quas hactenus diximus, oratoris virtutes, cura et labore comparari posse liquet mirabili Demosthenis exemplo, qui cum primam artis suae litteram dicere nequiret, studio et exercitatione perfecit, ut planissime diceret, et balbutiem, inditis ori calculis, emendavit; exilitatem vocis, ad fluctus maris declamando, illiusque fremitus voce vincendo sustulit; angustias spiritus, locorum arduorum inter declamandum ascensu, tandem aliquando superavit.

Atque haec de Pronuntiatione monuisse sufficiat. Reliqua, quae eodem pertinent, exercitationi relinquimus; cui scilicet plus multo quam praeceptis esse tribuendum existimavimus.

## CAPUT XXII.

### DE NONNULLIS ALIIS ELOQUENTIAE GENERIBUS

*Sunt ne alia genera eloquentiae praeter oratorium?*

R. Sunt equidem: nam in omni scribendi genere eloquentia locum habet, ac veluti vestis tegit corpus; quae quamquam ejusdem formae aut venustatis non sit, tamen eodem fungitur munere, si accommodata, et apta sit rebus, de quibus dicendum est.

*Quaenam sunt genera eloquentiae praeter oratorium?*

R. De quibusdam dicemus, omnia enim complecti et longius, et inopportunum esset. Quare de Epistolis primum, postea de scripturis quae ad docendum pertinent, in quibus de Dialogo, denique de illis quibus Historia innititur, nempe de Inscriptionibus, de Vitis, de Commentariis, de Annalibus, et de Historiis. Paucis attingemus haec, quae si nobis disertius tractanda essent, a proposito nostro nos nimium distraherent.

## §. I.

### *De Epistolis.*

*Quid est Epistola?*

R. Scite admodum definitur Epistola mutuus absentium sermo. « *Inventa est* ( ait Tullius ) *ut certiores faceremus absentes, si quid esset quod scire aut nostra aut ipsorum interesset.* » Hoc tantum solatio absentes amicos praesentes alloquimur, eorumque litteras legentes amicitiam longo temporum ac locorum intervallo interclusam instauramus, quae cum potissimum in quotidiana consuetudine fundamenta jaciat, ea intermissa, haud parum labefactari videtur, nisi scripto per litteras reficiatur. Cum autem fundamenta in consuetudine locet, familiarem consuetudinem pre se ferre debet. Quare neque agrestem aut asperam, neque fucatam esse oportet, sed nativa quadam festivitate conspersam et exornatam.

*Quaenam sunt Epistolae familiaris dotes?*

R. Illae sunt, quae familiarem consuetudinem decent. Qui enim in amicorum coetu loquitur, ita lo-

quitur, ut simplicitate alliciat, perspicuitate edoceat, lepore et quadam festivitate reficiat. Quare virtutes Epistolae esse affirmarim simplicitatem, et nativum quemdam animi candorem in verbis, perspicuitatem, quae lucidum rerum ordinem facile consequitur, ac voluptate quadam animos capit, cum nihil sit quod non intelligatur, et omnia sponte sua in oculos veluti occurrant; leporem, ac concinnitatem, quae ex ipsa sermonis proprietate et elegantia manare videntur. Nollem sermonem arte elaboratum atque affectatione elegantiae fucatum, sed talem velim, quali homines urbani saepe in usu quotidiano cum amicis uti solent. Venustatem etiam requiram, quae seu rerum festivitate seu verborum, animi affectum sermoni inurit. Ad hoc multum valere proverbia utriusque linguae arbitror, et quaedam locutiones Epistolis nec non familiaribus sermonibus proprias, quae facile ex aureis scriptoribus cognoscere cuilibet facillimum erit.

*Quid aliud praestare debet Epistola?*

R. Haec praesertim, ut argumento, loco, tempori, et personae quam maxime sit accommodata: argumento, inquam, quod ab hoc primum Epistola pendet, si enim familiare, familiariter, si grave, graviter, si festivum, festive scribenda est; et eo uti sermonis genere, quod argumentum postulat: loco, non enim eodem dicendi genere in locis omnibus uti decet, sed singulis accommodandum: tempori, quod aliud postulat tempus alterum, alterum aliud: denique personae, quod enim juvenem decet, senem dedecet scribere, neque eodem pacto litteras amicis, eodem principibus viris, ac urbium moderatoribus dabis. Itaque antequam litteras scribas, haec diligenter per-

pende, non solum de qua re tibi scribendum sit, sed etiam ad quem, et quo loco, et tempore scribas, animumque, fortunamque illius ad quem litteras mittis considera, ne quid ineptum, aut inficetum, et inopportunum scribas.

*Quaenam sunt Epistolarum genera?*

R. Multa esse nemo non ignorat, quae ab illis qui artem scribendi litteras tradunt fusius recensentur, ut nos ipsi in alio libello *de conscribendis epistolis* edito in usum tyronum demonstravimus. Nunc cum primoribus labiis ita dicam attingere, non rem omnem enucleare in animo sit, duo tantum cum Tullio numerabimus, unum familiare, et jocosum, alterum severum, et grave. Hoc quotidianis verbis, illud severioribus, et aptioribus texere necesse est, non ita tamen ut scholam aut disputationem philosophorum sapiat. Quae enim Epistolae argumenta philosophica pertractant vix inter Epistolas recensere velim, sed inter disputationes rejiciam. Nam qui scribit doctoris assumpta toga docet, a familiari consuetudine abhorret, ac eruditum pulverem, et palaestram expetit.

*Quibus partibus constat Epistola?*

R. Iisdem quibus oratio omnis: nam et in Epistola exordiri et narrare, et confirmare ( aliquando etiam refutare ) et denique perorare oportet. Non semper omnes partes, neque eodem pacto ac verborum, et sententiarum ornatu locum habent, sed proprio, familiarique sermone aliquando habere possunt. Cum enim alicui litteras des, primum benevolentiam captare, postea rem exponere, ac firmare, tandem apta conclusione, et quasi peroratione finem imponere debes. Fateor tamen Epistolam in familiari-

bus, et jocosis posse omni exordio carere, et in medias res rapere: posse etiam liberius discurrere, et pene dixerim pervagare; sed in gravibus ac severioribus a praescripto deflectere nefas duxerim.

*Quid cavendum est in conscribendis Epistolis?*

R. Primo id cavendum est, ne dum simplices et familiares videri volumus, in ingratam rusticitatem incidamus. Sunt qui dicunt, eadem qua loquimur ratione Epistolas exarandas. Sit ita sane, dummodo primum pure, et latine, vel italice, deinde plane, ac dilucide, tum ad rerum dignitatem apte, et quasi decore loquamur. Ut enim nihil turpius est quam inquinate ac inficete dicere in urbano hominum coetu, ita nihil foedius quam litteras mittere rudes, et inurbanis, vel forensibus verbis conflatas.

Secundo cavendum est, ne studio urbanitatis, et elegantiae in oppositum vitium incidamus, ita ut nimio elegantiae sive in verbis, sive in sententiis studio elati videamur. « *Nihil est odiosius affectatione,* ait Fabius, *nil putidius in mutuo absentium sermone.* » Ubi enim affectatio est, non animus, sed nimium delectandi studium se ostendit, et inanem quamdam hominis vanitatem leviora sectantis. Haec familiaritatem sermonis inquinat, festivitatem aufert, et refrigerat, graviora, ac severa imminuit, interdum etiam ridiculo vertit. Ego equidem malim incomptas, et pene rudes, quam nimio studio elaboratas, inanibusque ornamentis ponderosas Epistolas scribere: rudis enim ingenii notam quam arrogantis et ambitiosi facilius perferrem.

*A quibus exempla Epistolarum optimarum imitanda eligemus?*

R. Uberem optimorum exemplorum copiam Epistolae M. T. Ciceronis ad familiares, ad Brutum, ad Atti-

cum, ad Q. Fratrem tibi suppeditabunt. Nihil habet antiquitas candidius, nihil his elegantius, nihil perfectius cultae gentes invenire unquam possent. In his enim mira urbanitas, mira simplicitas, cum facilitate, et copia, et festivitate conjungitur in familiaribus: cum dignitate, doctrina, et civili sapientia in gravioribus. Has sibi imitandas proponat qui in hoc scribendi genere laudem sibi comparare studet, has evolvat quam saepissime, et meditetur. Artem ex illis melius quam a praeceptis cognoscet, et omne feret punctum, si artem cum tenuerit nulla arte perscribere videatur.

C. Plinii Secundi Epistolas quoque legisse confert, dummodo nimia verborum et sententiarum cura vitetur. In his enim saepe accidit ut dum acumen quaerit, verum deserat; et dum nimium operose sententiarum gemmulas colligit, oratio obscurior, et argutior facta, quasi laqueis impedita moretur, et frigescat. Mihi tantum a Tullianis distare videntur quantum Ciceronis aurea tempora a Trajani temporibus distant. De Senecae Epistolis nullus erit nobis hic sermo, sunt enim magis in disputationibus, et quaestionibus morum recensendae, quam in genere epistolari.

Quinti Aurelii Symmachi denique Epistolae magis ab eruditis quam a germanae linguae latinae cultoribus probantur.

*Habui quos imiter ex latinis, nunc quaeso de Epistolarum scriptoribus italicis nonnullos proponas velim.*

R. Satis libenter tibi faciam. Multi inter nostrates Epistolas edidere optimo stylo et more conscriptas. Ex his excellentiores proponam. Unum Anni-

balem Carum longe omnes praestitisse emunctae naris homines uno ore consentiunt. Nihilominus et Bembus, et Bonfadius laudandi. Torquatum Tassum verò proximum esse Tullio, facile affirmarim, sed longo proximum intervallo: et Franciscum Redium venustate, et lepore multis anteferendum sentio. Recentiores praeteream; de his enim mihi haud brevis sermo habitus est, in libro de arte conscribendi Epistolas, quem supra notavi.

## §. II.

### *De scriptis didsacalicis, seu ad docendum pertinentibus.*

*Quid dicendum de scripturis ad docendum pertinentibus?*

R. Hoc unum, ut perspicuitate summaque praecisione polleant, non solum in verbis, sed etiam in sententiis; lucidoque ordine attentionem legentium captent. Nihil enim aliud sibi proponit scriptor, nisi ut *intelligatur*, et doceat; doceat tamen cum quadam venustate, quae voluptatem pariat. Quidquid enim voluptate conditum in intellectum intrat, facile inhaeret, et mentem uno tempore locupletat, ac recreat.

*Debetne ornari oratio quae ad docendum pertinet?*

R. Sunt quaedam quae ornatum respuunt, quaedam quae modestum amant. Cum Mathesim, Physicam, Chemiam doceas aliasque hujuscemodi scientias, ornatu omni abstinendum est. Sufficit enim praecisione, ordine, perspicuitate exornasse, et ut ait Horatius = *Ornari res ipsa negat contenta do-*

*ceri.* — Sed cum caeteras, quae non in subtilitate rationum tantum, sed in argumentis consistunt edoceas, tunc modesto ornatu uti decet. Possunt enim vel comparationibus, vel exemplis illustrari, et temperato dicendi genere vigere. Omnes tamen proprietatem, simplicemque sermonis elegantiam expostulant.

*Quinam scriptores in didascalico genere excelluerunt?*

R. Multi quidem inter Graecos, Latinos, et nostrates. Ex Graecis nobis sat erit Platonem, Aristotelemque nominasse: quibus Demetrium Phalereum, et Dyonisium Longinum Rhetores addam. Ex latinis Marcus Tullius caeteros antecellit, uberioreque stylo discurrit. Huic Quintilianum Rhetorem aetatis omnis ducem, C. Plinium Secundum, A. Gellium, omnesque *de re rustica* scriptores adjiciam. Ex nostratibus Bartolomeum a S. Concordio, Dominicum Cavalcam, Jacobum Passavantem, Pandolfinium, Joannem Casam, Paulum Segnerum: quibus addi possunt nomina Galileii, Bellinii, Redii, aliorumque multorum, quos hoc loco referre brevitatis lege vetamur.

## §. III.

### *De Dialogo.*

*Quid est Dialogus?*

R. Est colloquium, vel sermo duorum vel plurium de re certa ac definita scripto habitus. Dicitur etiam disputatio scripta, in qua duos vel plures de re certa ac definita colloquentes fingimus. Quamquam enim unus auctor loquatur, tamen alios introducit loquentes, ut tamquam a praesentibus haberi sermo vi-

deatur. Genus hoc sermonum positum in hominum veterum auctoritate, et eorum illustrium, nescio quo pacto, ait Tullius, videtur habere plus gravitatis. Addi potest etiam plus jucunditatis, nam sermo habitus a praesentibus coram, magis delectat, quod et interesse videaris, et partem aliquam ipse in aliorum disputatione agere.

*Quot sunt Dialogorum genera?*

R. Duo esse dicam: alterum in rebus gravioribus, vel philosophicis versatur; alterum in voluptariis: illud veritatem quaerit, hoc repraesentatione morum, et ingeniorum, et temporum, voluptatem non sine doctrina parit. Quare aliud genus ad docendum, aliud ad delectandum esse affirmarim.

*Quaenam sunt Dialogi partes?*

R. Tres esse duco: 1. *exordium* sive *introductio:* 2. *rerum tractatio*: 3. *conclusio*. Exordium aditum facit ad disputationem, colloquentes, qui sint, declarat, disputationis argumentum aperit. *Tractatio* propositam quaestionem excutit et illustrat, argumenta in medium ponit, apteque in ordinem digerit, ut facilius, et melius intelligantur. Conclusio denique rem ad exitum perducit, ita ut vel colloquentes in sua quisque sententia persistant, vel in alterius veniant, vel ad aliud tempus sermone interrupto differant. Omnia tamen jucunditati vel gravitati inserviant oportet, animumque legentis vel rerum pondere, vel sermonis suavitate concilient.

*Quaenam in Dialogo est personarum ratio?*

R. Duplex: aut inter colloquentes unus est qui caeteros auctoritate et sapientia antecellit, et alios docet; aut pari doctrina in contrariam disputant sententiam, ita ut quisque suam tueatur argumentisque

muniat. Utraque optima ratio est: dummodo quisque personam sustineat suam, qualis ab incoepto processerit, et sibi constet.

*Quaenam est Dialogi forma?*

R. Duobus modis fit Dialogus. Sive enim scriptor narratoris assumpto officio rem exponit, et sententias colloquentium ipse refert; vel in scenam colloquentes trahit, ut ipsi totam rem agant. Optimus uterque modus: ille magis Platoni, hic magis Ciceroni placuit.

*Quinam sunt Dialogorum scriptores optimi apud veteres?*

R. Platonem inter Graecos et Xenophontem in Memorabilibus Socratis omnes uno ore commendant. Lucianum quoque laudandum esse confirmant festivitate et elegantia quadam, non tamen semper rerum tractatione, et quadam irrisione inhonesta. Apud latinos principem locum tenere Ciceronem omnes consentiunt: laudandus tamen Quintilianus, vel quis fuit auctor Dialogi de causis corruptae eloquentiae.

*Quinam sunt scriptores italici in hoc genere commendandi?*

R. Multi sunt, inter quos Angelum Pandolfinum, et dummodo expurgentur Balthassarem Castilioneum, et Joannem Baptistam Gellium eminere nemo sanus inficiabitur. Torquatum Tassum quoque inter optimos scriptores hujuscemodi adnumerabimus, qui Tullianam quamdam imaginem ubertate et elegantia sermonis refert. Inter recentiores festivitate Lucianum Vincentius Montius, elegantia caeteros omnes Antonius Cesarus exaequavit.

*Quid observandum est in colloquentium personis?*

R. Hoc in primis, ut eorum natura, et mores ita effingantur ut differant inter se, et propriam formam

habeant, et in ipsa disputatione lector facile colloquentem agnoscat. Si enim mores proprios, et proprium ingenium non habeant, haud facile distinguentur inter se; quod omnem jucunditatem auferet. Difficile sane est mores sermocinandi ratione exprimere, sed tamen custodiendum in primis est. Prodest etiam diversa hominum ingenia in scenam promere, et in contrariam sententiam disputantes, ut quaedam in dialogo vis comica eniteat; quae omnia multum jucunditatis legentibus gignunt. Ita Cicero in libris De Oratore personis colloquentium ad vivum exprimit ut graphice potentius fingi non possint, et cum legas Antonium colloquentem vel Licinium Crassum vel Scaevolam ab ipsa sermocinandi ratione facillime dignoscas. Ab illo exemplum sumat oportet quisquis Dialogos componere cum laude cupiat.

*Quid de elocutione dicendum est?*

R. Dicendi genus familiare sit, sed quod homines eruditos, ingeniososque magnique nominis decet. Interdum et assurgat prout res, et loquentis natura postulat. Quamquam enim ad vitae similitudinem Dialogus componatur, tamen nescio quid sublimitatis aliquando ab ipsa rerum tractatione habere potest. Quum disputatio ferveat, dicentis animum ardere necesse est; unde oritur saepe affectus, et quae ab illo dimanat sublimitas. Admittit etiam Dialogus descriptionem vel rerum, vel locorum, in quo stylus elaborate, et eleganter omnia effingit: eo tamen pacto ut omnem affectationis suspicionem vitet, et nativam et simplicem rerum expressionem pigmentis, ac verborum lenociniis non perturbet. Elocutio itaque sit facilis et simplex propriaque munditie elegans, et sequatur res, et affectus. *Sunt qui locutionem dia-*

*logi quam epistolae humiliorem velint* ( ait Dandinius in Ocio Aricino ) *quod haec munere mittatur amicis: ille ad hominum ex tempore colloquentium mores componatur. Hi rem nimis ad vivum resecant. Ut non rudes illi quorum sermones repraesentantur a dialogi scriptore: sic indecorum statuo, si dialogorum nimium pedestris humi serpat oratio.* »

## CAPUT XXIII.

### DE SCRIPTIS AD HISTORIAM PERTINENTIBUS ET DE HISTORIA

*Quid est Historia?*

R. « *Historia*, ait Cicero in libro 2. De Oratore, *est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis.*» Ex his et quanta sit utilitas, et qui sit finis historiae, et munus facile intelligi potest. Homines primitus res gestas carminibus memoriae mandarunt, mox lapidibus et nummis, postea denique litteris consignarunt. Sed apud Romanos, teste Tullio, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mutium Scevolam historia nihil aliud fuit, nisi annalium confectio . . . Hi veterem scribendi similitudinem secuti, sine ullis ornamentis, monimenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Pontifex Maximus res omnes singulorum annorum litteris mandabat efferebatque in album. Quare dicemus 1. de Inscriptionibus; 2. de Diariis quae a Graecis Ephemerides appellantur; 3. de Commentariis; 4. de Annalibus, quae Historiae confectionem praecessisse constat; 5 nonnihil etiam de Vitis, vel ut verbo Graeco utar, Biographiis attingemus; 6. tandem de Historia.

## §. I.

*De Inscriptionibus generatim, et de nummariis speciatim.*

*Quid est Inscriptio?*

R. Est antiquissimum, et brevissimum historiae genus, idemque maxime diuturnum, quo scilicet res prae ceteris memorabiles et insignes, seu potius rerum summa, aeri, saxo, marmori incrsbitur ad memoriam posterorum. Duo genera primiius fuere: Inscriptiones scilicet nummariae et lapidariae: hae propria soliditate stant: illae ob usum latius funduntur.

*Quaenam sunt Inscriptiones nummariae?*

R. Sunt eae quidem brevissimae, exiguo nummi seu numismatis ambitu circumscriptae. Numisma enim habet binas partes, quarum alteram appellant frontem vel partem adversam sive anticam; alteram posticam sive aversam. Romani in adversa nummi fronte vultum Principis effingendum curarunt; iidemque ad oram nomen ejus, et titulos quosque perpetuos inscribebant. Spatium etiam illud angustum infra figuram, quod quidam Εξεργον appellant, litteras saepe habet singularias, quae ad argumenti inscriptionem non pertinent. In parte aversa sive postica si moneta in honorem principis cuditur, locus et titulis est, quibus illustria facta, et bellicae res celebrentur. Sed si princeps suo nomine signari jubeat, alia ratio titulorum esse debet, ut nempe res ipsas quae ab eo gestae sint, non ipsius a rebus gestis praeconium inscribamus. Eodem pacto opera publica, liberalitates, beneficia principum, item profectiones

eorumdem, et adventus, et triumphi, et ludi designantur. Aliquando etiam symbolum sive signum cum inscriptione in parte postica nummi est: sed saepius pars haec sine ullo symbolo inscriptionem satis quidem prolixe offert. Non est nostrum in his morari: veterum exempla artem et leges docebunt. Hoc unum clarissimi Morcelli verbis ( a quo omnia poene de Inscriptionibus mutuatus sum ) addere liceat. « *Breves ut simus, valde laborandum esse nemo non tenet: non modo quia in exiguum nummi orbem multa compingi non possunt; sed etiam quia nummaria inscriptio eo fere illustrior est quo brevior.* »

## §. II.

### *De Inscriptionibus lapidariis.*

*Quaenam lapidariae Inscriptiones dicuntur, et quibus generibus continentur?*

R. Lapidarias vocamus inscriptiones quae lapidi, aut marmori inscribuntur: addam etiam quae laminis aereis, aeneisque insculptae sunt. Has omnes in sex generibus contineri, et distribui auctor est Morcellus cujus verba hic ponam. » *Sex si constituantur inscriptionum genera, nulla omnino jam erit, quae vaga, aut sede exclusa videatur. Nam genus primum* 1. *quod ego Sacrarum appello, et dedicationes, et donaria, et vota, et monumenta omnia sacrorum comprehendet.* 2. *Alterum quod est Honorariarum, omnes continebit, quae honorem cuidam habitum demonstrent: sive imperatores hi fuerint, sive consules, aut praesides, aut ordinum ductores, aut Ministri Sacrorum, sive denique viri, sive foeminae,*

*vel gratia illustres, vel liberalitate vel rebus gestis.* 3. *In tertio quod Epitaphiis tribuetur, viros item cujusque ordinis, dignitatis, religionis, tum foeminas, et pueros, puellasque, ipsas etiam familias, et sodalitates quascumque numerabis.* 4. *In quarto, quod historicarum inscriptionum nuncupabitur, fastis locus erit, et omnibus fere inscriptionibus consularibus, omnibus operum aut locorum publicorum, privatorumque titulis, legatis quoque, donationibus, venditionibus, et quaecumque sunt hujusmodi.* 5. *Ad quintum genus Ellogia spectabunt, sive magistratuum, sive hominum privatorum, sive etiam foeminarum.* 6. *In sexto denique, quod constitutiones publicas complectitur, leges habebis, et edicta, et senatus consulta et decreta municipiorum; tum foedera quoque et hospitia, rescripta etiam et diplomata, mensurarum ac ponderum inscriptiones, collegiorum sive sodalitatum decreta, et acta.* » Ab hac perspicua sane et lucida Inscriptionum distributione omnes quot sint genera facile agnoscent.

*Quaenam sunt Inscriptionum cujusque generis dotes, ac virtutes?*

R. Has apprime affirmo, brevitatem, perspicuitatem, decus. Ut sit brevis, et scribendi modus, et materia in quo scribitur postulant. In his itaque dicendum id quod necesse est, caetera praetereunda, ne frustra memoria gravetur. Brevitas etiam addit compressione sua vim, et pondus, et dignitate quadam res exornat. Cavendum tamen ne obscuri fiamus, nam quod intelligi negat, supervacaneum est. Perspicuitas ergo secunda erit dos, quam assequemur si verbis, et formulis propriis res exprimamus, et ita collocemus, ut unitas Inscriptionis uno obtutu pa-

teat, nequid improprie dicamus, neque ita adjunctis ornemus ut caliginem inferant. Habent cujusvis fere generis Inscriptiones formulas suas, solemnes modos, et stata verba, a quibus declinare ego neminem posse arbitror sine obscuritatis periculo. Morcellus ille summus magister frugiferam harum locutionum, et formularum segetem cuique legenti suppeditabit. Decus quoddam sive decorum denique assequendum est sive rerum gestarum, vel personarum qualitate, vel elocutione ipsa, quae rebus respondeat necesse est. Hanc veram dixerim elegantiam omnia in Inscriptione decere ita, ut rebus aut personis de quibus mentionem facit apta, et nata esse videatur.

*Quid cavendum in Inscriptionibus?*

R. Haec praecipue, ne ab unitate, et simplicitate quae sunt unicuique orationi propriae et necessariae declinemus; ne nimia verborum luxurie res exponamus ita ut nubes et inania captare videamur. Ne verbis inornatis, vel inusitatis, vel minime propriis utamur: neve schematum fastu, et inani verborum sonitu aures permulcere conemur. Sunt qui malint periphrasim quam propria verba: absurde equidem, et inficete. Neque eos laudarim qui graecismos ambitiose inferunt, et catonianum stylum affectant. Hi tenebras effundere student, et legentium mentes fatigare, quod certe studium inane, et improbandum est.

*Undenam exempla Inscriptionum sumenda?*

R. Ex multis inscriptionum latinarum collectionibus unde exempla petere possumus, unum opus absolutissimum ita vivam, et aureum adolescentibus proponam. Libros scilicet Stephani Antonii Morcelli de stylo Inscriptionum latinarum. Hos ament, his operam navent, et amplam ex his supellectilem adipi-

scentur. Sunt et graecae inscriptiones studio dignae, sed de his nullus nobis sermo brevitatis caussa hoc loco erit.

*Possuntne Inscriptiones confici vernaculo sermone?*

R. Possunt, et nonnulla exempla habemus imitatione digna. Velim tamen, non tantum ad latinorum normam confici, quod nescio quid peregrinitatis affert, sed ad Graecorum. Nitor enim, et simplicitas Graeci sermonis magis italis convenire facile contendo. Latinarum inscriptionum gravitatem et pondus italicam linguam vix consequi aliquando posse, graecorum venustatem, et concinnitatem facile posse affirmarim. « *Inscriptionibus*, ait Joannes Noghera S. J., *nihilo fortasse minus apta est lingua nostra italica, utpote copiosa et magis flexibilis ac parum admodum graeca differens; ita porro quum vult pressa ac brevis; ut ipsam latinam possit brevitate superare . . . . latina tamen lingua est magis versabilis, atque ut italicae plus inest dulcedinis, sic latinae plus gravitatis.* »

## §. III.

### *De Diariis, et Commentariis, et Annalibus.*

*Quid est Diarium?*

R. Diarium sive commentarium diurnum, et ut Graeci dixerunt *ephemerides*, liber erat in quo veteres res gestas per singulos dies describebant. Nostri *memorias* etiam appellant. Hoc tenuissimum historiae genus dicam, non enim vel cultu sermonis, vel rerum gravitate se commendat. Satis est lucido ordine, verbisque propriis res apte notare. Attamen fundamentum est satis solidum ad historiam condendam, si vera in medium proferat.

*Quid sunt Commentarii?*

R. Nil aliud apud Romanos fuere, quam liber in quo memoriae gratia res gestae continenti ordine, diligentia, ac simplicitate, nullo fuco, et ornamentis, paucis verbis, et veluti per summa capita describebantur. A verbo *comminiscor* nomen traxere, unde *commentus* et postea Commentarius. Hoc historiae genus valde utile, res enim veluti nudas ostendit, tantum venustate dictionis, et ingenua quadam simplicitate exornat. Julius Caesar, qui teste Tullio omnes fere oratores Romanos elegantia dicendi latine superabat, Commentarios nobis reliquit, qui adeo probantur omnium judicio, ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videatur. De his Cicero. « *Nudi sunt, recti, et venusti omni ornatu orationis tamquam veste, detracto; sed dum voluit alios habere paratum, unde sumerent qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui illa volent calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit.* » Qui ergo Commentarios scribere cupiunt, et leges et exemplum a Caesare sumant, et laudem adipiscentur.

*Quid sunt Annales?*

R. Vetustissimum historiae genus, unde historia originem duxit. Libri annales ii fuerunt, in quibus per singulos annos, diesque res domi, militiaeque memorabiles brevi atque ex ordine a Pontificibus scribebantur. Ab historia differre videntur praesertim quod haec menses et dies saepe omittit, prolixius, ornatiusque res narrat, rerum caussas exquirit, loca describit, conciones interponit, et interdum sententias, et documenta. Et si Servio credas, historia est eorum temporum, quae vel vidimus, vel videre po-

tuimus, Annales sunt eorum temporum quae aetas nostra non novit. Annales ergo res gestas plurium annorum, observato cujusque anni ordine, describunt, sine ullis ornamentis, ita ut monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum relinquant. Itali Annales mutuato a Graecis nomine etiam *Chronicas* appellavere. Si quis autem discrimen quod interest historiam inter et annales melius cognoscere cupiat, Tacitum illum cujus Annales pene historiarum optimarum splendorem exaequavere dicentem audiat. « Pleraque eorum quae retuli (in annales): quaeque referam parva forsan, et levia memoratu videri non nescius sum, sed nemo *Annales* nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi Romani res composuere . . . nobis in arcto, et inglorius labor . . . Non tamen sine usu fuerit introspicere illa, primo aspectu levia; ex quibus magnarum saepe rerum motus oriuntur. »

## §. IV.

### *De Vitis, seu Biographiis.*

*Quid est Vita?*

R. Est alicujus excellentis viri vel mulieris vitae historia: Graeci *Biographiam* dixere, hoc est descriptionem vitae. Haec ad historiam pertinere nemo non videt. Cum enim clarissimorum virorum vitam describas, resque ab illis gestas, historiae inservis, quae omnia illustria facta, virosque clarissimos complectitur. Plutarchus apud Graecos, Cornelius Nepos apud Latinos vitas, resque gestas excellentium virorum memoriae nostrae mandarunt, ex quibus et leges

hujus generis scriptionis, et stylum facile percipere poteris. Cajus Svetonius Tranquillus quoque vitas Caesarum descripsit brevi stylo, et accurato, non tamen eleganti, sed minus pudico, quam sapientem deceat.

*Quaenam sunt in Vitae narratione potissimum servanda?*

R. Tria praesertim:

1. Ut res verae certaeque sint, et modus quidam in laudandis, vel vituperandis. Neque enim verbis extollere parva, neque magna imminuere licebit, neque unquam in iis describendis a veri ratione deflectere.

2. Caussas nexusque rerum ita ostendere oportet, ut facile pateat legentibus, vel qualis fuerit ille de quo vitam dicimus, vel quomodo talis evadere potuerit.

3. Stylus narrationis simplex, et venustus sit, pro re tamen nata assurgat, et ornamentis quibusdam ingenuis gaudeat.

*Num omnia in narratione Vitae dicenda?*

R. Res magni ponderis non omittendas statuo; de reliquis delectus habendus est, ut ea dicamus, quae ad propositum pertinent, et ad legentium utilitatem, oblectationemque. Sunt enim quaedam dicenda ad delectandum: nec semper in rebus gravissimis insistendum, aliquando etiam minora varietatis caussa sunt pertractanda. Quare et digredi interdum licet, et aliorum facta attingenda, qui iisdem temporibus, et in iisdem reipublicae negotiis versati sunt, ut aetatis, et hominum, et morum legentes descriptionem ante oculos habeant, unde haud parva oritur oblectatio, et utilitas.

*Num in Vitis omnia vel parva, vel parvi momenti praetereunda sunt?*

R. Non omnia equidem; quaedam enim quae tenuiora videntur magni ponderis esse possunt, ut mores ingeniumque hominis ostendas. Nam, teste Plutarcho, in vita Alexandri Magni, exiguum subinde factum, dictumque, et jocus aliquis citius speciem edit morum, et ingenii hominis. Ut ergo pictores ex facie et vultu, ex quibus elucent mores, imagines desumunt, nec de caeteris membris magnopere laborant, ita concedendum nobis est animi indicia ut scrutemur, ac cujusque per haec informemus vitam. Quare cum alicujus vitam aggrediaris describere, reputabis animo qualis is, quantusque fuerit; et quae praecipua sunt, cognituque pulcherrima, ex ejus rebus gestis ita decerpes ut indolem ejus et mores ante oculos legentium ponas.

*Dicas quaeso qui inter Italos in excellentium virorum Vitis describendis excelluere.*

R. Satis tibi libentissime faciam. Dominicus Cavalca Sanctorum hominum vitas latine descriptas aureo ita vivam stylo in patrium sermonem convertit. Joannes Boccaccius vitam Dantis Allighierii paucis conclusit. Feus Belcarius Beati Colombini vitam simplici venustate exornatam narravit. Georgius Vasarius vitas excellentium sui temporis artificum ita descripsit ut eas ignorare italo homini nefas sit. Daniel Bartolus Sancti Ignatii Lojolei vitam aliorumque Sanctorum hominum descriptas eloquenti sermone nobis reliquit. His addes ejusdem Lojolei vitam latine exaratam a Petro Maffejo omni mundicie, et venustate exornatam; et Beati Aloysii Gonzagae ab Antonio Cesaro elegantiarum omnium aetate nostra patre. Has legas velim et discas.

## §. V.

### *De Historia.*

*Quid est Historia, et quotuplex?*

R. Historia est fidelis, et continens memorabilium rerum gestarum ad vitae solatium, et documentum narratio. Dividitur: 1. in universalem, et singularem: 2. in sacram, et profanam. Universalis est, quae vel omnium populorum, vel magni imperii longo temporis tractu vices, et facta complectitur: singularis quae vel unius gentis, vel unius aetatis res gestas describit. Sacra Dei in populos beneficia, et populorum religionem factaque continet: profana res hominum, et vicissitudines temporum memoriae litterarum commendat. Nos hoc loco de universali et singulari historia nonnulla dicemus.

*Quid dicendum de Historia universali, et singulari?*

R. Hoc primum ut sit simplex, et una. Simplicitas poscit nequid extra propositum dicatur, neve inutilia aut absona in narrationem inferantur. Unitas, ut omnes partes ita disponantur ut unum corpus propriis veluti membris confectum exhibeat, nec in caput, aut in ventrem excrescat, sed omnes inter se partes consentiant, et congruant. Quod obtineri potest si narrationi principium, medium, et finis statuatur, ita ut, et rerum origines pateant, exitum sive conclusionem aptam habeant, et inter se commode connexa non vi colligata videantur. Medium enim id est quod cum initio finem copulat, et extrema conjungit. Quod difficile apprime in universali historia est, quae variarum gentium facta, et mores complectitur: facilius in singulari; quae vel unius gentis et aetatis, interdum etiam unius facti mentionem facit.

*Quaenam sunt Historiae, sive universae, sive peculiaris leges?*

R. Omnes historiae leges in unum Tullius recensisse videtur in libro 2. De Oratore. « 1. Primam esse historiae legem ne quid falsi dicere audeat: 2. deinde ne quid veri non audeat: 3. nequa suspicio gratiae sit in scribendo, nequa simultatis. » Ex quibus verbis facile colligi potest primum historici officium esse, veritatem studiose sectari: nisi vera sint quae historicus narrat, neque fidem suae narrationi faciet, neque utilitatem assequetur: nam nemo credit quae falsa videntur; nemini prodest quod a veritate abhorret. Unus enim historiae finis utilitas, quae ex sola veritate conciliatur Secundum vero officium historici esse, nequid veri vel metus, vel socordiae causa obticeat. Ait enim Sallustius historiarum scriptorem spe, et metu vacuum esse oportere, ut vera quae ingrata sint dicere audeat. Sive enim falsa fingat, sive vera reticeat mendax est, et fraude mala culpandus. Tertium nequa suspicio gratiae in scribendo sit, nequa simultatis Qui enim scribendo gratiam aucupatur vel principis, vel alicujus reipublicae partis, merito fidem amittit; nam propriae utilitatis finem non legentium sibi proposuisse facile intelligitur. Pari ratione qui simultates scripto exercet, improbi animi posteris monumentum prodit, et turpiter obtrectando quam vera dicendo innotescere, et magnis inimicitiis clarescere maluisse: quod est quidem ambitionis genus. Temporibus nostris tamen nonnulli historiam scribentes non solum hominum gratiae, et simultati inservisse videntur; sed virtutis religionisve ignoratione, et partium studio a veritate deflexisse. Dolendum sane, et pudendum. Nulla ad errorem pro-

clivior via est; nam ait Tacitus « *Ambitionem scriptorum facile aversamur; obtrectatio, et livor pronis auribus accipiuntur: quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest.* »

*Quaenam sunt Historiae dotes?*

R. Primum ut ordine, perspicuitate, junctura polleat. Lucidus ordo cujusque scriptionis dos est,sed Historiae praesertim, quem si demas, et venustatem, et voluptatem omnem dempseris. Perspicuitas in sententiis et in verbis, et junctura rerum efficit ut facilius, et melius intelligamus, memoriaque perlecta teneamus. Quas dotes ut assequamur, necesse est omnia perpendere, animadvertere, diligentiusque excutere priusquam manum ad scribendum admoveamus. « *Cui* ( enim ait Horatius) *lecta potenter erit res, Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.* « Dignitatem quamdam, et decus, secundo narrationi inesse debet; nequid vulgare, et plebejum, nequid affectatum, aut argutum, aut ludicrum admitti potest. Qui enim gentes docere aggreditur nihil tanto magisterio indignum sibi permittere debet. Tertio denique, pondus, et utilitatem narrationi addere oportet, quae duobus praecipue modis assequi possunt. Altera poscit ut quae narramus neque nimis strictim, et veluti raptim exponamus, neque prolixius, et nimia verborum luxurie. Qui enim strictius quam decet narrat, legentes onerat, et nimio mentes labore frangit; qui diffusius, lassat, atque taedio afficit. Altera poscit ut rerum circumstantia seligamus, et opportune collocata describamus, ut lumen afferant, et splendorem, et quasi picturam rerum ante oculos ponant.

*Quid aliud praeter dotes, de quibus dictum est, historico praestandum est?*

R. Verbis Tullii respondere mihi liceat, quibus nil eloquentius, et gravius esse potest. « *Rerum ratio*, ait ille, *ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus expectantur, et de consiliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari, non solum quid actum, et dictum sit, sed etiam quomodo; et cum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus, vel sapientiae, vel temeritatis: hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam qui fama ac nomine excellant, de cujusque vita, et natura.* » Scio plerosque ex recentioribus improbare qui significet quid sibi probetur, et quae sibi sit religio, vel vivendi ratio. Audeo tamen dicere hos in errore versari, nihil enim veritati officit ea profiteri quae fidem veritati addunt, et honestatem scriptoris testantur. Aliud est, inquam, in partem aliquam animum inclinare, aliud est animum ingenue proferre. Si scriptor frigide de omnibus loquatur, historia frigescat necesse est, et a proposito declinet. Nam quum magistra vitae sit, et lux veritatis, virtuti faveat, et religioni, unde virtus omnis oritur, necesse est. Qui his favet, veritati favet, nullarumque partium est.

*Quid dicendum de iis qui conciones sive allocutiones Historiae inserunt?*

R. Optime facere dummodo modum non excedant: nam his varietatem necessariam inducunt, dignitatemque addunt. Cum enim summos viros loquentes audimus, non solum jucunditatem quam capimus, sed ex

dicentis majestate rebus maximum ponderis accedit. In his tamen custodiendum est ut qui loquuntur eam personam sustineant, quae ingenio, moribus, et tempori decet. Severe Cato loquatur; concitate Catilina; excelso et clementi animo Caesar; nam *si personis dicentis*, ait Flaccus, *erunt absona dicta, legentes aut indignabuntur, aut cachinnum tollent*: et hoc veritati detrimento erit. Conciones legibus iisdem reguntur, quibus orationes oratoriae, de quibus antea dictum est. Sed brevitas major in his sectanda est, ne longius productae continentem narrationis seriem interrumpere videantur.

*Quem stylum Historiae convenire dicemus?*

R. Plenum dignitatis et suavitatis. Historiae finis dignitatem in primis postulare videtur: est enim magistra vitae, ut dictum est, ideoque munere suo digna proferre decet. Dignitatem styli assequemur « dicendo verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari, ac declarari volumus: sine ambiguo verbo, aut sermone: non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis caussa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine » ( Cic. de Orat. lib. 2 ). Tullius ipse de suavitate ait. « Genus orationis fusum atque tractum, et cum lenitate quadam aequabili profluens sine judiciali asperitate, et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. » Verecunda ergo oratione historica scriptor utatur, quae tamen assurgat, ubi res, personae, et affectus exposcunt.

*Scire velim qui praestantiores fuere apud Graecos Historiae Scriptores.*

R. Historiam multi scripsere praeclare ( ait Fabius ) sed nemo dubitat duos longe caeteris praeferendos, quorum diversa virtus laudem pene est parem consecuta. Densus, et brevis et semper instans sibi Thucydides: dulcis, et candidus, et fusus Herodotus (primus Historiarum conditor): ille concitatis, hic remissis affectibus melior; ille concionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate... Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est. Nihilominus, et inter historicos locum habet, ejusque de Cyri expeditione libros eminent sive narrationis venustate, sive rerum utilitate, et sermone illo, quem melle dulciorem Tullius ipse affirmavit. De hoc enim satis dictum arbitror quum Musas quasi Xenophontis voce locutas fuisse idem Cicero testatus est: quare ut aliquid dicam de Cyropedia, nihil addam Tullii verbis. « *Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus sed ad effigiem justi imperii, cujus summa gravitas ab illo philosopho cum singulari comitate conjungitur: quos quidem libros non sine caussa noster Affricanus de manibus ponere non solebat. Nullum est enim praetermissum in his officium diligentis et moderati imperii.* » At de Graecis hactenus.

*Gratum facies si de Latinis Historicis nonnulla dicas.*

R. Tuae voluntati parebo, et verba Fabii mutuabor. « *At non historia cesserit Graecis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear, nec indignetur sibi Herodotus aequari T. Livium, cum in narrando mirae jucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam narrari potest eloquentem: ita di-*

*cuntur omnia cum rebus, tum personis accommodata: sed affectus quidem, praecipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam, nemo historicorum commendavit magis. Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem, diversis virtutibus consequutus est.* » Vellejus Paterculus elegans, et ingeniosus, interdum atrox, et subobscurus est, et adulationis crimine improbandus. Curtius genus dicendi purum, et latinum sectatur, sed nimium fabulis gaudet. L. An. Florus poetico utitur stylo in speciem amoeno et florido, at saepius contorto et molesto. De Caesare, cujus concinnam munditiem orationis, et modestiam sententiarum ac verborum gravitatem in exemplum afferre audeo; et de Tacito qui stylum Sallustii, et velocitatem arripuit, at interdum subobscuravit, satis antea dictum puto.

*Quid dices de Italis Historiae scriptoribus?*

R. Ni patria charitas fallit hoc dicam, omnes gentes Italos excelluisse in historiis conscribendis. Herodotum nostrum in Joanne ac Mathaeo Villani primum; deinde in Europae historia quam Franciscus Giambullarius confecit: Thucydidem in Dinio Compagni, et Nicolao Machiavello ( teterrimae, ita vivam, doctrinae magistro, cujus expurgatas historias hoc loco tantum nominare ausim ) habemus. Livium in Guicciardini historiis, quas expurgandas, vel notis castigandas, in juventutis commodum duxerim, Sallustium in Davanzati historia de Anglicano Schismate. Tacitum ipsissimum in ejusdem Davanzati versione italica. Xenophonti, et Caesari opponemus historias Bellorum Civilium in Gallia ab Henrico Davila italice descriptas, Guidonis Bentivoli de Bello Belgico libros, et Camilli Porcii Conjurationem Procerum Regni Neapolitani in Ferdinandum Regem. Laudandi

quoque Petrus Bembus, Varchius, Segnius, Admiratus, et Daniel Bartolus, qui mirificas historias confecere. Pallavicinum etiam inter praestantiores adnumerabimus, quamquam aculeis, et sententiis interdum molestus. Latinos exaequavere Jacobus Bonfadius, Petrus Maffeus: posteaque Guido Ferrarius et Castruccius Bonamici, qui in Commentariis de rebus ad Velitras gestis ac de Bello Italico multos antecellit, et Caesaris imaginem reddit. Inter recentiores denique historiam Americani Belli a Carolo Botta conditam, omnes uno ore commendant. Multi alii quoque extant facile laudandi, quos praeterire silentio cogimur brevitatis gratia.

EXPLICITUS EST LIBER DE ARTE ORATORIA



---

VISTO CONTE HOYOS GENERALE
*Anconae S. Off. 7. Febr. 1853.*
IMPRIMATUR FR. THOM. V. AIRALDI O. P. INQ.
IMPRIMATUR CAN. SEBAST. PETRELLI CENSOR EP.
VIDIT PRO EXC. AC R. D. DEL. APOST. ALOISIUS CAN. AMBROSI